

FAMILIARES

Francesco Petrarca

Liber 1

1

Ad Socratem suum.

[1] Quid vero nunc agimus, frater? Ecce, iam fere omnia tentavimus, et nusquam requies. Quando illam expectamus? ubi eam querimus? Tempora, ut aiunt, inter digitos effluxerunt; spes nostre veteres cum amicis sepulte sunt. [2] Millesimus trecentesimus quadragesimus octavus annus est, qui nos solos atque inopes fecit; neque enim ea nobis abstulit, que Indo aut Caspio Carpathio ve mari restaurari queant: irreparabiles sunt ultime iacture; et quodcunque mors intulit, immedicable vulnus est. Unum est solamen: sequemur et ipsi quos premisimus. Que quidem expectatio quam brevis futura sit, nescio; hoc scio, quod longa esse non potest. Quantulacunque sane est, non potest esse non molesta. [3] Sed a querelis saltem in principio temperandum est. Tibi, frater, quenam tui cura sit, quid de te ipso cogites, ignoro; ego iam sardinulas compono, et quod migraturi solent, quid mecum deferam, quid inter amicos partiar, quid ignibus mandem, circumspicio. Nichil enim venale michi est. Sum sane ditior seu, verius, impeditior quam putabam: multa michi scriptorum diversi generis supellex domi est, sparsa quidem et neglecta. Perquisivi situ iam squalentes arculas, et scripturas carie semeras pulverulentus explicui. Importunus michi mus nocuit atque edacissimum tineo vulgus; et palladias res agentem inimica Palladis turbavit aranea. [4] Sed nichil est quod non frangat durus et iugis labor. Confusis itaque circumventus literarum cumulis et informi

papiro obsitus, primum quidem cepi impetum cuncta flammis exurere et laborem inglorium vitare; deinde, ut cogitationes e cogitationibus erumpunt, ‘Et quid’ inquam, ‘prohibet, velut e specula fessum longo itinere viatorem, in terga respicere et gradatim adolescentie tue curas metientem recognoscere?’ Vicit hec sententia; sicut enim non magnificus, sic non inamenus labor visus est, quid quo tempore cogitassem recordari. [5] Sed temere congesta nullo ordine versanti, mirum dictu quam discolor et quam turbida rerum facies occurreret; ut quedam, non tam specie illorum quam intellectus mei acie mutata, vix ipse cognoscerem; alia vero non sine voluptate quadam retroacti temporis memoriam excitarent. [6] Et erat pars soluto gressu libera, pars frenis homericis astricta, quoniam ysocraticis habenis raro utimur; pars autem, mulcendis vulgi auribus intenta, suis et ipsa legibus utebatur. Quod genus, apud Siculos, ut fama est, non multis ante seculis renatum, brevi per omnem Italiam ac longius manavit, apud Grecorum olim ac Latinorum vetustissimos celebratum; siquidem et Athicos et Romanos vulgares rhythmico tantum carmine uti solitos accepimus. [7] Hec itaque variarum rerum tanta colluvio aliquot me diebus occupatum habuit; et licet dulcedine non parva atque amore ad proprias inventiones insito retraherer, vicit tamen caritas maiorum operum, que iam diutius interrupta, non sine expectatione multorum de manibus meis pendent; vicit recordatio vite brevis. Timui, fateor, insidias; quid enim, queso, fugacius vita est, quid morte sequacius? [8] Subiit animum que iecisset fundamenta, quid michi laborum vigiliarumque restaret: temeritas, imo vero insaniva visa est in tam brevi et incerto tempore tot longos certosque labores amplecti, et vix ad singula suffecturum ingenium in diversa distrahere; presertim cum, ut nosti, labor aliis me maneat, tanto preclarior quanto plus solide laudis est in actionibus quam in verbis. [9] Quid multa? incredibilem forte rem audies, veram tamen: mille, vel eo amplius, seu omnis generis sparsa poemata seu familiares

epystolas — non quia nichil in eis placuisset, sed quia plus negotii quam voluptatis inerat — Vulcano corrigendas tradidi. Non sine suspirio quidem — quid enim mollitem fateri pudeat? —; sed occupato animo quamvis acri remedio succurrendum erat, et tanquam in alto pregravata navis, relevanda preciosarum etiam iactu rerum.

[10] Ceterum, illis ardentibus, pauca quidem animadverti in angulo iacentia, que vel casu magis quam consilio servata vel pridem a familiaribus transcripta, cuncta vincenti senio restiterant. Pauca, dixi; vereor ne lectori multa, scriptori autem longe nimia videantur. His ego indulgentior fui: vivere passus sum, non illorum dignitati, sed labori meo consulens; nichil enim negotii preferebant. [11] Ea vero duorum amicorum libranti ingenia hac lance partiri visum est, ut prosa tibi, carmen Barbato nostro cederet; sic enim et vos olim optare solitos et me pollicitum esse memineram. Itaque cuncta passim occursantia uno impetu vastanti et ne his quidem — ut tunc erat animus — parsuro, vestrum alter ad levam, alter ad dextram adesse visus, et apprehensa manu, ne fidem meam et spes vestras uno igne consumerem, familiariter admonere. Hec illis evadendi precipua causa fuit; alioquin, crede michi, cum reliquis arsissent.

[12] Hec ergo, que nunc tibi de virili reliquiarum illarum parte obveniunt, qualicunque sunt, non solum equo, quin etiam avido animo perleges. Non audeo illud Apuleii Madaurensis in comune iactare: «Lector, intende: letaberis»; unde enim michi id fidutie, ut lectori delectationem letitiam ve policear? [13] Leges tamen ista, mi Socrates, et ut es amantissimus tuorum, fortasse letabere, cuiusque animum probas, delectaberis stilo. Quid enim refert quanta sit forma nonnisi amantis subitura iudicium? supervacuo comitur que iam placet. Siquid hic sane meum placet, non id meum fateor, sed tuum: hoc est, non ingenii mei sed amicitie tue laus est. [14] Nulla hic equidem magna vis dicendi; quippe que nec michi adest, et quam, si

plane afforet, stilus iste non recipit; ut quam nec Cicero ipse, in ea facultate prestantissimus, epystolis suis inseruit certe, nec libris in quibus est «equabile» quoddam, ut ipse ait, «et temperatum orationis genus»; eximiam illam vim lucidumque et rapidum et exundans flumen eloquentie in orationibus suis exercuit. Quo genere infinites pro amicis, sepe adversus reipublice suosque hostes usus est Cicero; quo pro aliis sepe, pro se “quater et quadragies” Cato; quod quidem genus inexpertum michi est; [15] nam et a reipublice muneribus abfui et fama mea, tenui murmure forsan interdum et sibilis lacessita clandestinis, nullum hactenus quod ulciscerer vel vitarem, iudiciarium vulnus exceptit; et verbalem ferre opem alienis vulneribus non est nostre professionis. Neque enim aut tribunal ambire aut locare linguam didici, adversante penitus et reluctantate natura, que me silentii ac solitudinis amatorem fecit, fori hostem, pecunie contemptorem; sed bene habet, quando me eius rei non egentem fecit, cuius forte inopem fecerat si egerem. [16] Omissa illa igitur oratoria dicendi vi, qua nec egeo nec abundo et quam, si exuberet, ubi exerceam non habeo, hoc mediocre domesticum et familiare dicendi genus amice leges, ut reliqua, et boni consules, his quibus in comuni sermone utimur, aptum accommodatumque sententiis. Sed non omnes tales iudices habebo; neque enim aut idem omnes sentiunt aut similiter amant omnes. Quomodo autem omnibus placarem, cui placere paucis semper studium fuit? [17] Triplex est profecto veri iudicii venenum: amor, odium, invidia. Illud autem vide, ne nimium nos amando, vulgare coegeris que melius latuissent; ut enim tibi amor, sic aliis forte aliud officiet. Inter amoris autem et invidie cecitatem, causa quidem plurimum, effectu nichil interest. Odium, quod medio loco numeraveram, nec mereor certe nec metuo. [18] Sed fieri potest ut nugas meas tibi habere, tibi legere nilque in eis aliud quam nostros ac nostrorum casus meminisse cogites; in quo rem michi pergratam feceris; sic enim et petitio tua non neglecta videbitur et fama mea tuta

erit. [19] Alioquin, nisi supervacuo nosmet ipsos favore decipimus, quonam modo amicum licet, nisi sit idem alter ego, lecturum hec sine fastidio arbitremur, diversa invicem et adversa, in quibus non idem stilus, non una scribentis intentio, quippe cum pro varietate rerum varie affectus animus illa dictaverit, raro quidem letus, mestus sepe?

[20] Epycurus, philosophus vulgo infamis sed maiorum iudicio magnus, epystolas suas duobus aut tribus inscripsit: Ydomeneo, Polieno et Metrodoro; totidem pene suas Cicero: Bruto, Athico et Ciceronibus suis, fratri scilicet ac filio; Seneca perpaucas preterquam Lucilio suo scribit. Promptum opus et felicissimi successus nosse collocutoris sui animum, unius assuevisse ingenio, scire quid illum audire iuvet, quid te loqui deceat. [21] Michi autem sors longe alia; nempe cui usque ad hoc tempus vita pene omnis in peregrinatione transacta est. Ulixeos errores erroribus meis confer: profecto, si nominis et rerum claritas una foret, nec diutius erravit ille nec latius.

[22] Ille patrios fines iam senior excessit; cum nichil in ulla etate longum sit, omnia sunt in senectute brevissima. Ego, in exilio genitus, in exilio natus sum, tanto matris labore tantoque discrimine, ut non obstetricum modo sed medicorum iudicio diu exanimis haberetur; ita periclitari cepi antequam nascerer et ad ipsum vite limen auspicio mortis accessi. [23] Meminit haud ignobilis Italie civitas, Aretium, quo pulsus patria pater magna cum bonorum acie confugerat. Inde mense septimo sublatus sum totaque Tuscia circumlatus prevalidi cuiusdam adolescentis dextera; qui — quoniam iuvat laborum discriminumque meorum tecum primitias recordari — linteo obvolutum, nec aliter quam Metabus Camillam, nodoso de stipite pendentem, ne contactu tenerum corpus offenderet, gestabat. Is, in transitu Arni fluminis, lapsu equi effusus, dum honus sibi creditum servare nititur, violento gurgite prope ipse periit. Finis tusci erroris, [24] Pise; unde rursus etatis anno septimo divulsus ac maritimo itinere transvectus in Gallias, hibernis aquilonibus haud procul Massilia naufragium passus, parum

abfui quin ab ipso rursus nove vite vestibulo revocarer. [25] Sed quo rapior, oblitus propositi? Inde nimirum usque ad hanc etatem aut nulla prorsus aut rarissima subsistendi respirandique facultas fuit; et quot inter errandum periculorum timorum vespecies pertulerim, preter me unum nemo te melius novit. Que idcirco memorare nunc libuit, ut memineris me inter pericula natum, inter pericula senuisse; si modo iam senui, et non graviora michi in senio reservantur. [26] Hec autem, etsi comunia sint omnibus intrantibus in hanc vitam — neque enim “militia” solum, sed pugna “est vita hominis super terram” — sunt tamen alia alii et longe diversum pugne genus; et quamvis quenque sua pregravent, tamen revera inter eas quibus premimur sarcinas, multum refert. [27] In his ergo vite tempestatibus, ut ad rem redeam, nullo portu anchoram longum in tempus iaciens, quot veros amicos nescio, quorum et iudicium anceps et penuria ingens est, notos autem innumerabiles quesivi. Multis itaque multumque animo et conditione distantibus scribere contigit; tam varie ut ea nunc relegens, interdum pugnantia locutus ipse michi videar. Quod propemodum coactum me fecisse fatebitur quisquis in se simile aliquid expertus est. [28] Prima quidem scribentis cura est, cui scribat attendere; una enim et quid et qualiter ceterasque circumstantias intelliget. Aliter virum fortem, aliter ignavum decet alloqui; aliter iuvenem inexpertum, aliter vite muneribus functum senem; aliter prosperitate tumidum, aliter adversitate contractum; aliter denique studiosum literisque et ingenio clarum, aliter vero non intellecturum siquid altius loquaris.

[29] Infinite sunt varietates hominum, nec maior mentium similitudo quam frontium; et sicut non diversorum modo, sed unius stomachum non idem cibus omni tempore delectat, sic idem animus non uno semper nutriendus stilo est; ut geminus sit labor: cogitare quisnam ille sit cui scribere propositum est, qualiter ve tunc affectus, cum ea que scribere instituis lecturus est. [30] Quibus ego difficultatibus multum a me ipso differre compulsus sum; quod ne michi ab inquis iudicibus

vitio verteretur, partim beneficio ignis obtinui, partim tu michi prestiteris, si clanculum suppressoque nomine ista possederis. Que si inter paucos superstites amicos occultare non potes, quoniam linceos oculos habet amicitia nilque amicorum visui impervium est, admone ut siquid horum apud eos substiterit, quamprimum abiciant, nequa in eis rerum aut verborum mutatione turbentur. [31] Ita enim accidit ut qui hec in unam congeriem redigi nunquam aut tibi ut peteres aut michi ut assentirer, venturum in animum suspicabar, laborem fugiens, passim in una dictum epystola in altera repeterem meisque, ut ait Terrentius, pro meis uterer. Novissime, cum multis annis edita et ad diversas mundi plagas ire iussa unum in tempus locumque convenissent, facile deformitas uniti corporis apparuit, que per membra tegebatur, et verbum quod semel in una epystola positum delectabat, in toto opere sepius repetitum fastidio esse cepit: uni itaque relinquendum, de reliquis eradendum fuit.

[32] Multa quoque de familiaribus curis, tunc forte dum scriberentur cognitu non indigna, nunc quamvis cupido lectori gravia, detraxi, memor in hoc irrigsum a Seneca Ciceronem; quanquam in his epystolis magna ex parte Ciceronis potius quam Senece morem sequar. Seneca enim, quicquid moralitatis in omnibus fere libris suis erat, in epystolis congessit; Cicero autem philosophica in libris agit, familiaria et res novas ac varios illius seculi rumores in epystolis includit. De quibus quid Seneca sentiat, ipse viderit; michi, fateor, per amena lectio est; relaxat enim ab intentione illa rerum difficultum, que perpetua quidem frangit animum, intermissa delectat.

[33] Multa igitur hic familiariter ad amicos, inter quos et ad te ipsum, scripta comperies, nunc de publicis privatisque negotiis, nunc de doloribus nostris, que nimis crebra materia est, aut aliis de rebus quas casus obvias fecit. Nichil quasi aliud egi nisi ut animi mei status, vel siquid aliud nossem, notum fieret amicis; probabatur enim michi quod prima ad fratrem epystola Cicero idem ait, esse «epystole

proprium, ut is ad quem scribitur de his rebus quas ignorat certior fiat». [34] Atque ea michi tituli fuit occasio; de quo aliquando cogitanti, quamvis epystolarum nomen consentaneum rebus esset, quia tamen et multi veterum eo usi erant et ipse ego varium carmen ad amicos, de quo paulo supra mentio incidit, eodem prenotabam, bis eo uti piguit, novumque ideo placuit nomen, ut Familiarium Rerum Liber diceretur. [35] In quo pauca scilicet admodum exquisite, multa familiariter deque rebus familiaribus scripta erant; etsi interdum, exigente materia, simplex et inelaborata narratio quibusdam interiectis moralibus condiatur; quod et ab ipso Cicerone servatum est. [36] Et hec tam multa quidem de tam parva re loqui, censorum premordacium iubet metus; qui, nichil sribentes quod iudicari queat, de aliorum iudicant ingeniis. Impudentissima temeritas, que solo silentio tuta est: complosionis in litore manibus sedenti, facile est ferre quam velit de gubernatoris arte sententiam. [37] Adversus hanc proterviam latebris saltem tuis horridula hec atque improvide nobis elapsa defendito. Illam vero non Phidie Minervam, ut ait Cicero, sed qualemcunque animi mei effigiem atque ingenii simulacrum multo michi studio dedolatum, si unquam supremam illi manum imposuero, cum ad te venerit, secure qualibet in arce constituto.

[38] Hec hactenus. Illud libentius, si liceret, silentio tegerem; sed ingens morbus non facile occultatur; erumpit enim et indicio suo proditur. Pudet vite in mollitiem dilapse: ecce enim, quod epystolarum ordo ipse testabitur, primo michi tempore sermo fortis ac sobrius, bene valentis index animi, fuerat, adeo ut non me solum sed sepe alios consolarer; sequentia in dies fragiliora atque humiliora sunt, neque sat virilibus referta querimoniiis. Illa precipue ut occultare studeas, precor. [39] Quid enim alii dicerent, cum ipse relegens erubescam? ergo ego in adolescentia vir fuero, ut in senectute puer essem? Infelix et execranda perversitas: fuit animus vel mutare ordinem vel subtrahere tibi penitus ista que damno! Neutro

circumveniri posse visus eras, qui et flebilium exempla et omnium cum consule diem tenes. [40] Ad excusationum igitur arma confugio. Lassavit me longo et gravi prelio fortuna. Dum spiritus dumque animus fuit, et ipse restiti et ad resistendum alios cohortatus sum. Ubi hostis viribus atque impetu labare michi pes atque animus cepit, excidit confestim sermo ille magnificus et ad hec que modo displicant, lamenta descendit. [41] Qua in re excuset me forsitan amicorum pietas, quibus salvis ad nullum fortune vulnus ingemui; eisdem mox una pene omnibus ruina obrutis, et mundo insuper moriente, inhumani potius quam fortis visum est non moveri. Ante hoc tempus quis me unquam de exilio, de morbo, de iudicio, de comitiis, de ullis fori turbinibus; quis me de paterna domo, de fortunis perditis, de gloria imminuta, de pecunia dilata, de absentia amicorum, flebiliter agentem audivit? [42] Quibus quidem in molestiis tam molliter agit Cicero, ut quantum stilo delector tantum sepe sententia offendar. Adde litigiosas epystolas et adversus clarissimos atque ab eodem paulo ante laudatissimos viros iurgia ac probra, mira cum animi levitate; quibus legendis delinitus pariter et offensus, temperare michi non potui quominus, ira dictante, sibi tanquam coetaneo amico, familiaritate que michi cum illius ingenio est, quasi temporum oblitus, scriberem et quibus in eo dictis offenderer admonerem. [43] Que michi cogitatio principium fuit ut et Senece tragediam que inscribitur Octavia, post annos relegens parili impetu eidem quoque, ac deinde, varia occurrente materia, Varroni Virgilioque atque aliis scriberem; e quibus aliquas in extrema parte huius operis inserui, que, nisi premonitum, lectorem subita possent admiratione perfundere; quedam in illo publico incendio perierte. [44] Talis ille vir tantus in doloribus suis fuit; talis ego in meis fueram. Hodie, ut scias presentem animi mei habitum — neque enim invidiosum fuerit id michi tribuere, quod imperitis evenire ait Seneca —, factus sum ex ipsa

desperatione securior. Quid enim metuat, qui totiens cum morte luctatus sit?

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Animosius in dies agere videbis, animosius loqui; et siquid forte stilo dignum se obtulerit, erit stilus ipse nervosior. Multa sane se offerent: scribendi enim michi vivendique unus, ut auguror, finis erit. [45] Sed cum cetera suos fines aut habeant aut sperent, huius operis, quod sparsim sub primum adolescentie tempus incepsum iam etate provectione recolligo et in libri formam redigo, nullum finem amicorum caritas spondet, quibus assidue respondere compellor; neque me unquam hoc tributo multiplex occupationum excusatio liberat. Tum demum et michi immunitatem huius muneris quesitam et huic operi positum finem scito, cum me defunctum et cunctis vite laboribus absolutum noveris. Interea iter incepsum sequar, non prius vie quam lucis exitum operiens; et quietis michi loco fuerit dulcis labor. [46] Ceterum, quod et rethores et bellorum duces solent, infirmioribus in medium coniectis, dabo operam ut sicut prima libri frons, sic extrema acies virilibus sententiis firma sit; velo eo amplius quo vivendo magis ac magis induruisse videor contra impetus atque iniurias fortune. Denique quis inter experimenta rerum sim futurus, profiteri minime ausim; sed hoc animo sum, ut nulli amplius rei succumbam:

Si fractus illabatur orbis,

Impavidum ferient ruine.

Ita me Maronis Flaccique sententiis armatum scito, quas olim lectas et sepe laudatas, nunc tandem in extremis casibus meas facere ipsa inevitabilis fati necessitate didici.

[47] Dulce michi colloquium tecum fuit, cupideque et quasi de industria protractum; vultum enim tuum retulit per tot terras et maria teque michi presentem fecit usque ad vesperam, cum matutino

tempore calatum cepissem. Diei iam et epystole finis adest. [48] Hec igitur tibi, frater, diversicoloribus, ut sic dicam, liciis texta dicaverim; ceterum, si stabilis sedes et frustra semper quesitum otium contigerit, quod iam hinc ostendere se incipit, nobiliorem et certe uniformem telam tuo nomine meditor ordiri. Velle ex his paucis esse, qui famam promittere possunt et prestare; sed ipse vi propria in lucem venies, alis ingenii subvectus nichilque auxillii mei egens. Profecto tamen, si inter tot difficultates assurgere potuero, tu olim Ydomeneus, tu Athicus, tu Lucilius meus eris. Vale.

2

Thome Messanensi, de immature laudis appetitu.

[1] Querelam publicam nemo sapiens suam facit; satis quisque privatarum querelarum domi habet. ‘Satis’ dixi; ‘nimis’ dicere debueram. Nulli ne hoc unquam accidisse reris? Falleris; nulli fere contrarium accidit. Vix, superstite qui fecerat, cuiusquam scripta vel gesta placuerunt; laudes hominum mors inchoat. Scis quare? quia cum corpore moritur invidia, vivitque cum corpore. [2] ‘Multorum’ inquis, ‘scripta laudantur, que, si gloriari licet...’ Non pergis ulterius, sed — qui indignantibus mos est — suspensum linquens auditoris animum, sermone pretervolas inexpleto. Verum enimvero fugientem consequor mentis augurio; scio quid velis: ‘multorum scripta laudantur, que, tuis admota, carere non tantum laudatore sed etiam lectore debuissent; cum tua interim nullus attingat’. [3] Recognosce in verbis meis indignationem tuam, que iusta esset, nisi illam de comuni omnium acervo in usus proprios traduxisses; omnium, inquam, quos hic scribendi seu amor seu morbus tenuit, omnium ve quos tenebit. Respice enim in primis quorum sunt illa que laudantur; quere

auctores: certe pridem in cinerem versi sunt. Vis et tua laudari? morere. [4] A morte hominis vivere incipit humanus favor, et vite finis principium est glorie; que si ante ceperit, singularis quedam et intempestiva res est. Plus dicam: dum eorum qui tecum vixerunt quisquam superfuerit, cumulate quidem quod appetis non habebis; cum omnes pariter urna concluserit, venient qui sine odio et sine invidia iudicent. Ferat itaque de nobis quamlibet sententiam presens etas: si equam, feramus equo animo; si iniquam, ad equiores iudices — hoc est ad posteros — provocemus, quando ad alios non licet. [5] Delicatissima res est iugis conversatio: minimis offenditur, et fame semper inimica presentia est, multumque admirationi hominum familiaritas detrahit frequensque convictus. Vides ne tu hos scolasticos, genus hominum vigiliis ac ieunio squalidum? Crede michi: nichil ad lucubrandum durius, nichil mollius ad iudicandum. Cum multa laboriosissime legerint, nichil examinant; et quid in re sit, dedignantur inquirere, cum hominem ipsum nosse videantur. Itaque omnium una lex est; cuncta enim ex equo, quorum auctores vel semel aspexerint, scripta fastidiunt. [6] ‘Hoc’ inquies, ‘parvis accidit ingeniis; magna enim et valida per obstantia quelibet erumpunt’. Redde michi Pithagoram, reddam tibi illius ingenii contemptores; redeat in Greciam Plato, renascatur Homerus, reviviscat Aristotiles, revertatur in Italiam Varro, resurgat Livius, reflorescat Cicero: non modo segnes laudatores invenient, sed mordaces etiam et lividos detractores; quod quisque suis temporibus expertus est. Quid Virgilio maius habuit lingua latina? Repperit tamen ille, qui non poetam, sed raptorem alienarum inventionum et translatorem dicerent; ipse autem et ingenii fidutia et iudice fretus Augusto, alto animo invidorum verba despexit.

[7] Tibi quidem magnam ingenii conscientiam esse scio; sed ubi Augustum iudicem invenies, quem enixe admodum atque omnibus modis ingeniis sui temporis favisse compertum est? [8] Nostri reges

de saporibus epularum et de volatu avium iudicare possunt, de ingeniiis hominum non possunt; quodsi forte presumpserint, superbie tumor aperire oculos aut flectere et in verum figere non sinit. Itaque nequid sue etatis suspicere videantur, mirantur veteres; quos novere, contemnunt, ut defunctorum laus viventium contumelia non vacet. Inter hos iudices vivendum moriendumque nobis est, et — quod est durius — tacendum; ubi enim, ut dixi, Augustum iudicem queremus?

[9] Unum habet Italia, imo vero terrarum orbis; unum habet, Robertum siculum regem. Fortunata Neapolis, que unicum seculi nostri decus incomparabili felicitate sortita es; fortunata, inquam, et invidiosa Neapolis, literarum domus augustissima, que si Maroni quondam “dulcis” visa es, quanto nunc dulcior videreris, ubi ingeniorum ac studiorum equissimus extimator habitat! [10] Ad te confugiat quisquis ingenio fudit; neque vero differendum putet. Suspecta mora est; devexa enim est etas, et mundus iampridem eo carere et ipse ad meliora regna transire meritus, vereorque ne multam ipse michi sere penitentie materiam prolatando quesierim. Omnis quidem pulcre rei dilatio turpis, et omnis de honesto deliberatio longior inhonesta est; rapienda est occasio, confestimque faciendum quod ante tempus fieri non potest.

[11] Quod ad me attinet, currere et properare propositum est, «ut» — quod de Iulio Cesare in epystola quadam ait Cicero — «omnia mea studia in istum conferam. Eo vero ardenti quidem studio, ac fortasse “efficiam” quod sepe viatoribus, cum properant, evenit: ut, si serius quam voluerint, forte surrexerint, properando etiam citius quam si de nocte vigilassent, perveniant quo velint; sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, cursu corrigam tarditatem». [12] Hec ille. Tibi autem tuo foro uti necesse est, quando ad eum regem aspirare non tam freti quam belli obice prohiberis. Patria enim tua, cuius nemo amantior civis est, inimici regis imperio subiacet; dicerem ‘tyranni’, nisi quia timeo aures tuas offendere. Ad hec et magna res est

neque nostris calamis discernenda sed illorum gladiis. Igitur ad inceptum redeo.

[13] Si hec tibi exempla, de illustrissimis electa, non sufficiunt, alia ex alio grege hominum adiciam, et etate recentiora et sanctitate clarissima. Quantos olim emulos Augustinus noster, quantos Ieronimus, quantos habuit Gregorius, donec spectata virtus et literarum divina et admirabilis ubertas invidiam vicere! Vix horum quisquam integrum fame preconium, nisi ab ipso die mortis, accepit.

[14] Unum emulo ac reprehensore carentem, unum plena et indecerpta laude decoratum, Ambrosium, cuius ne viventis quidem famam mordax livor attigerit, apud quosdam invenio. Quod forte ad puram eius ac simplicem doctrinam omnis ambigui expertem referendum est; nam apud Paulinum, qui Ambrosii vitam scripsit, et obtrectatorum eius nomina legimus et vindictam divino iudicio irrogatam. Perfer igitur iam sine lamentis quod summis ingeniosis contigisse vides.

[15] Videris autem, quadam in parte tuarum literarum, hoc ipsum conqueri, quod multos neveris magnum in vita nomen assecutos. Et hoc quoque, si me audire volueris, “magnifice” contemnes. Scis enim quibus hoc evenit; his equidem solis, qui famam suam — quoniam calamo nequeunt — clamore defendunt. [16] Aspice istos purpuratos, qui ingenti strepitu populorum in se ora convertunt, qui se sapientes dici volunt et quos sapientes vulgus appellat, singulis civitatibus ascribens sapientum greges; cum tamen illa florens olim studiorum mater, Grecia, non amplius quam septem sapientum nominibus glorietur; quod ipsum posteris importune nomen arrogantie visum est. [17] Sed qui eos excusant, aiunt non id eis cognomen proprio iudicio, sed “populorum suffragiis” obtigisse. Unus ex omnibus seculis Epycurus “sapientem se profiteri ausus”: intoleranda superbia, seu potius ridiculosa dementia, cuius, secundo De Finibus bonorum et malorum, meminit Cicero. [18] Hodie in nostrorum causidicorum

grege furor ille vulgaris est. Respice et hos qui in altercationibus et cavillationibus dyaleticis totum vite tempus expendunt seque inanibus semper questiunculis exagitant; et presagium meum de omnibus habeto: omnium nempe cum ipsis fama corruet unumque sepulcrum ossibus sufficiet ac nomini. Cum enim mors frigidam linguam stare coegerit, non modo ut sileant necesse est, sed ut de his etiam sileatur. [19] Possem exemplis affluere teque ipsum in multis testem facere — quot loquacissimas picas agnovimus in oculis insane multitudinis perstrepentes, quorum repente vox cecidit! —, nisi longa et apud quosdam superstitione odiosa forte narratio esset. [20] Sed de his et sepe alias et nunc quod res ipsa poscebat, diximus; neque enim ut eos monerem, sermo michi institutus, sed ut tibi satisfacerem, cuius omnino diversa conditio est; tunc enim maxime resonabis, cum iam loqui amplius nequieris. Ceterum valde impatientis animi est brevissima expectatione torqueri. Expecta paululum; eris voti compos, cum obstare tibi ipse desieris. Id ex parte longeva forsan absentia, ad plenum mors sola prestabit.

[21] Reduc ad memoriam ex omnibus seculis illustres viros, romanos grecos, barbaros: cuius non presentia fame nocuit? Tibi, si recentiore memoria es, plures forte ex historiis occurrent; ego id uni omnium Africano tributum “memini”, ut scilicet et fama mirabilis et presentia mirabilior haberetur. Idem sacris in literis tribuitur Salomoni. [22] Quere alium; forte non invenies; etsi Virgilius, immodico studio Eneam suum exornandi, hoc ad eum glorie genus transferre contendat. Sed immobile verum est; excusant tamen quasi non Eneam, sed sub Enee nomine virum fortem perfectumque describat. [23] Dedit idem oratorum uni duntaxat is qui hoc sibi verius usurpasset, preillustris scilicet oratorum princeps Marcus Tullius; uni quoque poetarum idem tribuit, Aulo Licinio Archie. Sed vereor ne id, amore iudicium obliquante, preceptorи suo, mediocris ingenii viro, tribuat quod nec Homero tribuit nec Virgilio tribuisset.

[24] Ceterum, ut ad te revertar, nichil ex omnibus que dixi, quod tibi iustum indignandi materiam prestare possit, occurret. Nemo enim se anteiri ab uno vel a paucis egre fert, nisi qui glorie principatum pertinaci sibi mente constituit. Patere, ut ceterarum rerum, sic ingenii tui sortem nominisque fortunam. Putabas eam in solis divitiis ius habere? “humanarum rerum” omnium, excepta virtute, “domina” est; illam quoque sepe oppugnare, sed nunquam expugnare, permittitur. Famam certe, qua nichil est levius, facile rotat ac ventosis suffragiis circumvolvit, a dignis eam transferens ad indignos. Nichil quidem mobilius, nichil iniquius vulgari iudicio, super quo fama fundata est. Itaque mirum non est, si assidue quatitur que tam tremulis innititur fundamentis. [25] Hec sane nonnisi in vivos regnum habet; mors hominem eximit ab imperio fortune; cessant exinde ludibria hec, et — velit illa vel nolit — “virtutem” fama, ceu solidum “corpus umbra”, consequitur. [26] Habes ergo, carissime, nisi fallor, gloriandi potius causam quam indignandi, si cum omnibus fere prestantibus atque clarissimis viris communis tibi tua sors est. Quoque etiam nunc equiore animo sis, Africanum ipsum, quem ex hac acie segregare visus eram, in comune restituam; cui, quamvis — quod rarissimum est, ut dixi — presentia non noceret, nocuit tamen, ut ceteris hominum, invidia, quam tantis virtutibus non potuit extinguere, incenditque potius et inflammavit; nocuit — quod sine indignatione non possum meminisse — conversatio longior et nascens ex familiaritate contemptus.

[27] Unde autem hec eliciam, percontabere. Nolo me aliquid immutasse suspiceris: ipsa Titi Livii clarissimi scriptoris verba ponam, qui, orta contentione dignitatis honorumque inter Scipionem Africanum Titumque Flaminium, in qua succubuisse Scipionem refert, «Maior» inquit, «gloria Scipionis, et quo maior eo propior invidie»; et statim postea: «Accedebat» inquit, et aliud: Scipio Africanus «iam prope annum decimum assiduus in oculis hominum

fuerat, que res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit». [28] Et hec quidem ille. Tu vero, ut iam finem faciam, fortunam tuam tanto comite solabere expectabisque tranquillus, memor vetus apud Flaccum verbum esse, quod “ut vina”, sic “poemata meliora dies reddit”; apud Plautum aliquanto vetustius. Ille enim ait:

*Qui utuntur vino vetere sapientes puto,
Et qui libenter veteres inspectant fabulas.*

Quod non minus ipsi Flacco bilem commovisse suspicor quam tibi: tantam esse vetustatis reverentiam, ut crimen longo sermone purgandum sibi fuerit, Lucilium reprehendisse.

[29] Postremo tecum cogita: quid est hoc pro quo tam solicite torquemur? ventus est fama quam sequimur, fumus est, umbra est, nichil est. Itaque facilime recto atque acri iudicio temni potest; quodsi forte — quoniam generosos animos familiarius hec pestis insequi solet — appetitum hunc extirpare raditus non potes, exerescensem rationis saltem falce compesce. Parensum tempori, parensum rebus est. Denique, ut sententie mee summam brevibus expediam, virtutem cole dum vivis, famam invenies in sepulcro. Vale.

XIV Kal. Maias

, Bononie.

3

Venerando seni Raimundo Superano iuriconsole, de flore etatis instabili.

[1] Vereri michi, nec immerito, visus es, ne — quod fere omnibus adolescentibus accedit — etatis flore decipiar. Non pollicebor tibi, pater, animum solidum ac stabilem omnisque vanitatis exortem, quod

in hac etate difficillimum et potius divine gratie quam humane virtutis arbitror; sed mentem haudquaquam sue conditionis ignaram spondeo. [2] Sentio me, michi crede, nunc, dum maxime florere videor, maxime ad aresendum pergere; quid in re celerrima segnibus verbis utor? imo vero properare, imo currere, imo, ut loquar proprie, volare. «Volat enim etas» ut ait Cicero, et «omnino nichil *est* aliud tempus vite huius, quam cursus ad mortem; in quo» ut ait Augustinus, «nemo vel paulo stare vel aliquanto tardius ire permittitur; sed urgentur omnes pari motu nec diverso impelluntur accessu. Neque enim cuius vita brevior fuit, celerius diem duxit quam ille cui longior; sed cum equaliter equalia momenta raperentur ambobus, alter abiit proprius, alter remotius, quo non impari velocitate ambo currebant. Aliud est enim amplius vie peregrisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo usque ad mortem productiora spatia temporis agit, non lentius pergit, sed plus itineris conficit». [3] Ecce quanti duo viri, velocitatem vite mortalis describentes, volare eam et currere asserunt. Quotiens vero Virgilius fugere tempus ait? Quid, si omnes tacerent? quid, etiamsi negarent? nunquid ideo segnius fugiens curreret aut volaret? [4] Neque vero me talia summis labiis locutum putas, qui que coetaneis meis est mos, per auctorum vireta “captare flosculos”. Quod “viro turpe” ait Seneca, nobis ita permissum putant, ut nichil videatur in adolescente formosius. Ego me non nego flosculos interdum legere, quibus inter seniorum choros, si res tulerit, uti queam; sed ita ad optatam senectutem merita cum laude perveniam, ut ego magis omnia ad vitam extimo, quam ad eloquentiam referenda. [5] Et quamvis, ut est usus, ut est ingenium, ut est animus, ut est etas, eloquentie studio delecter, tamen, et dum aliorum bene dicta recenseo et si quando michi aliquid forte sonantius excidit, utrobique magis meditor ut quicquid id est, vite proposit adolescentie que me malis expedit, quam ut verbis ornati oribus iuvenilis lingua lasciviat. [6] Summe quidem dementie videtur in id niti ad quod forte nunquam

sis venturus et quod paucis accidit quodque, cum adeptus fueris, modicum prosit, fortassis et multum noceat; illud vero negligere, quod et omnibus promptum, pre omnibus utile, damnosumque nunquam esse possit. [7] Scimus autem magnorum autoritate hominum experimentoque rerum edocti, quoniam paucis bene loqui, bene vivere autem omnibus datum est. Et tamen plures illud amplectuntur, hoc fugiunt: ita est natura hominum, difficultatibus incumbere et ea cupidius appetere que laboriosius parantur. [8] Ego quidem, etsi michi fidem etas deroget, teste tamen conscientia, lego non ut eloquentior aut argutior sed ut melior fiam, et, quod de morali philosophie parte dixit Aristotiles, ad omnes traho; quanquam, si uterque fructus sequeretur, fortunatiorem me laborum non negarem. [9] Tibi autem, pater, gratias ago quod me paterne mones, et oro ut idem sepe facias; sed sic habeto, me iam hinc cepisse cognoscere cursum meum et pericula numerare et multos nosse decrepitos me altius humi fixos ac tenacius inherentes. [10] Multum me tangit illud Domitian principis iam senescentis: «Nil» inquit, «gratius decore, nil brevius»; et illud Catonis senis, apud Tullium: «Quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum?»; et illud Virgilii tunc iuvenis iuveniliter dictum, sed vere, sed graviter, sed mature:

*Collige, virgo, rosas dum flos novus et nova pubes,
Et memor esto evum sic properare tuum.*

[11] Ego vero memor sum, et quamvis nondum plene possim, cogito tamen ut possum, et in dies ut profundius possim, nitor. Cogito non quid aliis videor, sed quid sum; et etatem hanc et qualemcumque formam corporis et reliqua — unde michi forsitan ab aliis invidetur — sentio data michi ad periculum, ad exercitium, ad laborem. Denique, ut breviter concludam, scio me ascendere ut descendam, virere ut arescam, ut senescam adolescere, vivere ut moriar. Vale.

Avinione, Kal. Maiis.

Ad Iohannem de Columna Romane Ecclesie cardinalem,
peregrinationis proprie descriptio.

[1] Gallias ego nuper nullo quidem negotio, ut nosti, sed visendi tantum studio et iuvenili quodam ardore peragravi; Germaniam tandem Rhenique ripas attigi, contemplatus solicite mores hominum et aspectu telluris incognite delectatus, ac singula cum nostris conferens. Et licet multa utrobique magnifica viderim, me tamen italicice originis non penitet; imo, ut verum fatear, quo latius peregrinor, eo maior natalis soli subit admiratio. [2] Quodsi gratias agebat Plato diis, ut verbo eius utar, immortalibus, inter multa, quod grecum eum et non alienigenam edidissent, quid nos prohibet pro eodem quoque gratias agere ortusque nostri Deum auctorem recognoscere? Nisi forte nobilior est grecum nasci, quam italicum; quod quisquis dixerit, dicat idem et servum nobiliorem esse quam dominum. [3] Atqui nullus hoc greculus, quantumlibet procax impudensque, dicere audebit, dum meminerit diu ante Urbem conditam, ante partum et auctum virtutibus imperium, denique ante *Romanos rerum dominos gentemque togatam*,

non Italiam, sed quotam Italie partem, eo tempore desertam et vacuam, grecis habitatoribus possessam Magnamque Greciam nuncupatam. Que enim tunc magna visa est, quam maxima, quam immensa videri potuit post eversam Chorintum, post vastatam Etholiam, post Argos ac Mycenas ceterasque urbes triumphatas, post Macedonie reges captos Pyrrumque devictum et madentes iterum asiatico cruento Termophilas! Credo neminem negaturum aliquanto

clarior italicum esse quam grecum. Sed de hoc forte alibi; nunc in Gallias revertamur.

[4] Pariseorum civitatem, regni caput, que auctorem Iulium Cesarem pretendit, introii non aliter animo affectus quam olim Thesalie civitatem Ypatham dum lustrat, Apuleius. Ita enim solicito stupore suspensus et cuncta circumspiciens, videndi cupidus explorandique vera ne an ficta essent que de illa civitate audieram, non parvum in ea tempus absumpsi, et quotiens operi lux defuit, noctem superaddidi. Demum ambiendo et inhiando, magna ex parte didicisse videor quis in eadem veritati, quis fabulis locus sit; que quoniam longa narratio est neque hoc loco satis explicabilis, differenda est, donec ex me omnia coram audies. [5] Gandavum quoque, ut media sileam, eodem conditore superbum vidi, amplum oppidum et opulentum; vidi et ceteros Flandrie Brabantieque populos lanificos atque textores; vidi Leodium, insignem clero locum; vidi Aquensem Caroli sedem et in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius principis sepulcrum. [6] Ubi fabellam audivi non inamenam cognitu a quibusdam templi sacerdotibus, quam scriptam michi ostenderunt et postea apud modernos scriptores accuratius etiam tractatam legi; quam tibi quoque ut referam, incidit animus, ita tamen ut rei fides non apud me queratur, sed, ut aiunt, penes autores maneat.

[7] Carolum regem, quem Magni cognomine equare Pompeio et Alexandro audent, mulierculam quandam perditae et effictim amasse memorant; eius blanditiis enervatum, neglecta fama, cui plurimum inservire consueverat, et posthabitatis regni curis, aliarum rerum omnium et postremo sui ipsius oblitum, diu nulla prorsus in re nisi in illius amplexibus acquievisse summa cum indignatione suorum ac dolore. Tandem cum iam spei nichil superesset, quoniam aures regias salutaribus consiliis insanus amor obstruxerat, feminam ipsam malorum causam insperata mors abstulit. [8] Cuius rei ingens primum in regia, sed latens, gaudium fuit; deinde dolor tantum priore gravior,

quantum fediori morbo correptum regis animum videbant; cuius nec morte lenitus furor, sed in ipsum obscenum cadaver et exangue translatus est, quod balsamo et aromatibus conditum, honustum gemmis et velatum purpura diebus ac noctibus tam miserabili quam cupidus fovebat amplexu. [9] Dici nequit quam discors et quam male se compassura conditio est amantis ac regis; nunquam profecto contraria sine lite iunguntur. Quid est autem regnum nisi iusta et gloriosa dominatio? contra, quid est amor nisi feda servitus et iniusta? [10] Itaque cum certatim ad amantem seu rectius ad amentem regem pro summis regni negotiis legationes gentium prefectique et provinciarum presides convenirent, is in lectulo suo miser, omnibus exclusis et obseratis foribus, amato corpusculo cohorebat, amicam suam crebro velut spirantem responsuramque compellans; illi curas laboresque suos narrabat, illi blandum murmur et nocturna suspiria, illi semper amoris comites lacrimas instillabat: horrendum miserie solamen, sed quod unum tamen ex omnibus rex, alioquin, ut aiunt, sapientissimus, elegisset. Addunt fabule quod ego nec fieri potuisse nec narrari debere arbitror. [11] Erat ea tempestate in aula Coloniensis antistes, vir, ut memorant, sanctitate et sapientia clarus, necnon comitatus et consilii regii prima vox; qui domini sui statum miseratus, ubi animadvertisit humanis remediis nichil agi, ad Deum versus, illum assidue precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere multo cum gemitu. [12] Quod cum diu fecisset nec desiturus videretur, die quodam illustri miraculo recreatus est; siquidem ex more sacrificanti et post devotissimas preces pectus et aram lacrimis implenti, de celo vox insonuit: sub extincte mulieris lingua furoris regii causam latere. Quo letior, mox, peracto sacrificio, ad locum ubi corpus erat, se proripuit et iure notissime familiaritatis regie introgressus, os digito clam scrutatus, gemmam per exiguo anulo inclusam sub gelida rigentique lingua repertam festinabundus avexit. [13] Nec multo post rediens Carolus et ex consuetudine ad optatum mortue congressum

properans, repente aridi cadaveris spectaculo concussus, obriguit exhorruitque contactum, auferri eam quantotius ac sepeliri iubens. Inde totus in antistitem conversus, illum amare, illum colere, illum in dies arctius amplecti, denique nichil nisi ex sententia illius agere, ab illo nec diebus nec noctibus avelli. [14] Quod ubi sensit vir iustus ac prudens, optabilem forte multis sed honerosam sibi sarcinam abicere statuit; veritusque ne si vel ad manus alterius perveniret vel flammis consumeretur, domino suo aliquid periculi afferret, anulum in vicine paludis prealtam voraginem demersit. [15] Aquis forte tum rex cum proceribus suis habitabat; ex eoque tempore cuntis civitatibus sedes illa prelata est. In ea, nil sibi palude gratius; ibi assidere, illis aquis uti mira cum voluptate, illius odore veluti suavissimo delectari. Postremo illuc regiam suam transtulit et in medio palustris limi immenso sumptu iactis molibus, palatum templumque construxit, ut nichil divine vel humane rei eum inde abstraheret. [16] Postremo ibi vite sue reliquum egit, ibique sepultus est, cauto prius ut successores sui primam inde coronam et prima imperii auspicia capesserent. Quod hodieque servatur servabiturque quandiu romani frena imperii theutonica manus aget.

[17] Longior fui in hac narratione quam debui; sed quoniam peregrinatio longinqua librorum solatio destituta est et in perpetuo motu facilius est multa cogitare quam grandia, iustum epystole modum implere seriis non valens, eam, ut vides, obviis quibusque confercio. Vale.

Aquis, 11 Kal. Iulias.

Ad eundem (Iohannem de Columna) et de eadem materia.

[1] Aquis digressum, sed prius — unde ortum oppidi nomen putant — aquis baiano more tepentibus ablutum, exceptit Agrippina Colonia, que ad sinistrum Rheni latus sita est, locus et situ et flumine clarus et populo. Mirum in terra barbarica quanta civilitas, que urbis species, que virorum gravitas, que munditie matronarum. [2] Forte Iohannis Baptiste vigilia erat, dum illuc applicui; et iam ad occidentem sol vergebatur. Confestim, amicorum monitu — nam et ibi amicos prius michi fama pepererat quam meritum — ab hospitio traducor ad fluvium, insigne spectaculum visurus. Nec fallebar. [3] Omnis enim ripa preclaro et ingenti mulierum agmine tegebatur. Obstupui: dii boni, que forma, quis habitus! amare potuisset quisquis eo non preoccupatum animum attulisset. In loco paulum altiore constiteram, unde in ea que gerebantur, intenderem. [4] Incredibilis sine offensione concursus erat; vicissimque alacres, pars herbis odoriferis incincte reductisque post cubitum manicis, candidas in gurgite manus ac brachia lavabant, nescio quid blandum peregrino murmure colloquentes. Vix usquam clarius intellexi quod Ciceroni placet et veteri proverbio dici solet, inter linguas incognitas omnes propemodum surdos ac mutos esse. [5] Unum michi solarium gratissimorum interpretum non deerat; nam et hoc inter cunta mirabere, celum illud spiritus pyerios alere. Itaque dum muratur Iuvenalis quod

Gallia causidicos docuit facunda Britannos,

miretur itidem

Docta quod argutos aluit Germania vates.

[6] At ne me auctore fallaris, scito ibi nullum Maronem esse, Nasones plurimos; ut dicas verum fuisse “presagium” quod in fine libri Methamorphoseos, multum vel posteritatis gratie vel ingenio suo fidens, posuit. Siquidem “qua romana potentia”, seu verius qua romanum nomen, domito orbe, se porrigit plausibiliter nunc faventis “populi ore” perlegitur. [7] His ego comitibus, ubi quid audiendum seu respondendum incidit, pro lingua et pro auribus usus sum. Unum igitur ex eo numero, admirans et ignarus rerum, percontatus virgiliano illo versiculo:

Quid vult concursus ad amnem?

Quid ve petunt anime?

responsum accepi, pervetustum gentis ritum esse, vulgo persuasum, presertim femineo, omnem totius anni calamitatem imminentem fluviali illius diei ablutione purgari et deinceps letiora succedere; itaque lustrationem esse annuam inexhausto semper studio cultam colendamque. [8] Ad hec ego subridens: ‘O nimium felices’ inquam, ‘Rheni accolae, quorum ille miserias purgat! nostras quidem nec Padus unquam valuit purgare, nec Tyberis. Vos vestra mala Britannis, Rheno vectore, transmittitis; nos nostra libenter Afris atque Illiriis mitteremus; sed nobis, ut intelligi datur, pigriora sunt flumina’. Commoto risu, serum tandem inde discessimus.

[9] Proximis aliquot diebus, a mane ad vesperam civitatem eisdem ducibus circuivi; haud iniocundum exercitium, non tam ob id quod ante oculos erat, quam recordatione nostrorum maiorum, qui tam procul a patria monimenta romane virtutis tam illustria reliquissent.

[10] In primis autem occurrebat Marcus Agrippa, colonie illius auctor, qui licet multa domi multa foris preclara construxerit, illam tamen ex omnibus dignam censuit cui suum nomen imponeret; edificator ac bellator egregius dignusque habitus quem Augustus sibi generum ex toto orbe deligeret, qualiscunque filie virum, sed dilecte, sed unice, sed auguste. [11] Vidi tot simul trunca milia sacrarum virginum et

terram generosis dicatam reliquiis ac degenerum, ut aiunt, cadaverum expultricem. Vidi Capitolium, effigiem nostri; nisi quod pro senatu illic pacis ac belli consilia agitante, hic formosi iuvenes ac puelle mixtim nocturnas laudes Deo concinunt eterna concordia; ibi rotarum et armorum strepitus ac gemitus captivorum, hic quies et gaudium et iocantium voces; denique, illuc bellicus, huc pacificus triumphator ingreditur. [12] Vidi templum urbe media pulcerrimum quamvis inexpletum, quod haud immerito summum vocant. Magorum ibi regum corpora, ab ortu ad occasum tribus saltibus transvecta, quos ethereum quandam Regem ad presepio vagientem cum muneribus veneratos legimus, venerabundus aspexi. [13] Parumper hic, pater optime, et pudoris mei metas excessisse videor et plura collegisse quam necesse erat. Utrunque fateor; sed michi nil tam necesse est, quam ut imperio tuo paream. Inter multa sane que abeundi iusseras, hoc fuit extreum: ut et de terris ad quas ibam, et de singulis que vidi sem audivissemque, perinde te certiore scripto facerem ac verbo soleo; [14] ne calamo parcerem, ne brevitati vel ornatui studerem, neve floridiora decerperem, sed cunta complecterer; denique, tulliano verbo usus: «Scribe, dixisti, “quicquid in buccam venerit”». Promisi me facturum; promissum crebris ex itinere literulis implesse videor. Si iussisses loqui de altioribus, tentassem; nunc epystole officium reor, non ut scribentem nobilitet, sed ut certificet legentem. Quodsi omnino videri volumus, ostentemus nos in libris, in epystolis colloquamur.

[15] Procedo. Ad. tertio Kalendas Iulias Colonia discessi, tanto sole ac pulvere, ut sepe “Alpinas nives ac frigora Rheni” a Virgilio requirerem. Inde Arduennam silvam, scriptorum testimonio pridem michi cognitam, sed visu atram atque horrificam, transivi solus et, quod magis admireris, belli tempore. [16] Sed incautos, ut aiunt, Deus adiuvat. At ne longum iter vix equo peractum calamo remetiar, multis ego regionibus ambitis, hodierno die Lugdunum perveni. Nobilis et

ipsa Romanorum colonia est, paulumque vetustior Agrippina. Duo hic noti amnes in nostrum mare currentes, Rodanus Ararque, conveniunt; Sonam incole appellant. Sed de his nichil amplius: iuncti enim ad te properant, alter cogenti alter coacto similis, et Avinionem, ubi te nunc ac genus humanum Romanus Pontifex detinet, permixtis vadis abluunt. [17] Huc ego cum mane pervenissem et intranti forte familiaris hic tuus occurrisset, mille eum questiunculis, ut mos est peregre redeuntium, aggredior; ille autem nichil ad reliqua, sed preclarissimum fratrem tuum, ad quem maxime properabam, sine me Romam petiisse narravit. [18] Quo audito, querendi veniendique ardor repente defervuit. Hic igitur expectare in animo est, donec et estas ipsa deferveat, quam hucusque non senseram, et me vegetiorem quies faciat, qui me fessum esse hoc ipso primum loquente perpendi. Nulla quidem fatigatio maior quam animi est. Quodsi reliqui itineris tedium subierit, Rodanus michi pro vehiculo erit. Interim, ut noris ubi sum, hec tibi festinante nuntio transcurrere non piguit. [19] De fratre item tuo, duce olim, nunc — da dolori veniam — desertore meo, nusquam alibi quam apud ipsum conqueri visum est; quam querelam ut sibi quam primum mitti iubeas, oratus facito. Et vale, nostri memor, lux patrie, nostrum decus.

Lugduni, 5 Idus Augustas.

6

Ad Iacobum de Columna epyscopum Lomberiensem, familiaris conquestio, quod se non expectato, Romam petiisset.

[1] Revertebar e Germania et iam Lugdunum perveneram, precum tuarum et desiderii mei uncis retrahentibus, non tam poetico aut philosophico quam cursorio mote festinans. Illic cursui meo

molestissimum frenum adhibuit insperatus rumor: aufugisse te, absentie mee velut oportunitate captata, et sine me Romam petiisse, quod te profecto nunquam facturum esse promiseras. [2] Quid dicam? Amante non amato nil reor esse miserius. Quomodo autem te seu quibus primum verbis aggrediar? Suspiciosum ne an tuorum contemptorem putem? nichil minus moribus tuis convenit. Obliviosum querar, mirator ipse memorie tue? Fedifragum dicam? sed notissima fides est. [3] Quid ergo? Tu culpe nomen invenies et te ipsum condemnabis, vel, si libet, absolves; apud tribunal tuum tecum agitur: tu idem et reus et testis et iudex eris. Sede igitur et mecum aliquantis per equo iure discepta; equat enim amor imparia. Quod si contra me forte lingua tua pronuntiaverit, ad conscientiam provocabo. [4] Responde dolori meo querenti. Cur tu Rome, ego in Gallia sum? quid tanto divortio dignum feci? an, ut inutilis et inamena sarcina, in tergum abicior? De utilitate quidem, videris; de reliquo, quoniam dolor ingens libertatis assertor esse solet, ipse pronuntio: nulla igitur, si te novi, amenior, nulla curis tuis oportunior tecum est; Lelii mei et ceterorum pace dixerim, quibus ut me equare audeam, superbe forsitan fortune illorum cogit invidia, cogit et dolor mee. Ego enim te mundo pretuli; tu michi, queso, quid non prefers? [5] An timuisti ne secretum tuum ex me in vulgus erumperet? Ita ne rimosum expertus es, ita infirmi ac futilis animi, cui tam facile commissa diffuerent? Egisti incaute, qui michi totiens graviora credideris. [6] Sed, crede michi, quoniam hodie, ut video, dolor verecundiam superat, crede, inquam, michi, pater optime: nullius, quem quidem ego neverim, fido silentio secundus sum; nemo me, ideo quod secreta non teneam, ne dicam fideli amicitie, sed vel senatorio gradu vel sacerdotio Cereris inhabilem arguerit. [7] Legimus apud Persas nichil fide sanctius, nichil pulcrius silentio, nichil loquacitate deformius; itaque illud vel morte custodiunt, hanc morte castigant; non est qui, quocunque supplicio, sui regis pandat

archanum; si quis forte contrafecerit, nullo non suppicio dignus habebitur. Preclare. Quid enim omnino facilius quam tacere? ad quid ergo utilis aut cui magne rei sit habendus ydoneus, qui rem longe facillimam implere nequiverit? [8] An vero occupationes meas interrumpere noluisti? Conversatio igitur longeva quid profuit? nondum intelligis non esse me de illorum grege, qui, ut ait Flaccus,

brevi fortis iaculantur evo

Multa; qui terras alio calentes

Sole

permutant; qui

penetrant aulas et limina regum,

ut Virgilius ait; qui animum suum in frusta discerpunt, huic arrident, illi serviunt, neminem ex integro diligunt, nulli plene confidunt? [9] Certe, ego qui sim nescio; valde enim in iudicio rerum nostrarum fallimur; sed ut sim de grege nichil optantium, magnopere labore. De multis nunquam speravi; sciebam enim quod qui paucorum similis fieri studet, multis fiet invisus; spes et occupationes mee in te hactenus site erant. [10] In quo si me diutius errare non es passus, perurbane mecum agi non negaverim, quod alienationem animi tui non contumelioso quidem actu, non verbo aspero, non gravi supercilium, sed fuge silentis indicio perceperim. Sin experiri aut inflammare desiderium meum cogitasti, vide ne adversus imbecillem animum nimis aculeatum ludi genus elegeris. [11] At forte indulgentior causa est. Pepercisti, arbitror, labori meo, veritus ne fastidio pelagi impar essem, et quoniam id tibi quoque restat iter, per “siticulosam Apuliam” sub estivo sole deficerem. Sed, queso te, nonne hoc tuo de me iudicio iniuriosus es fame mee? ubi ego hanc opinionem merui? quis me labor fregit aut terruit? Sola videndi dulcedo per ignotam me barbariem circumducit; per Italiam — credo — pulcra necessitas non duxisset? [12] Sub Pireneis olim collibus ut tibi comes essem, nisi pudet, quantis

me precibus ac blanditiis honerasti? quanquam, ut verum fatear, sequebar ego prope cupidius quam trahebar. Quid ita nunc sub Apennini iugis comes esse non merui? nisi forte inertiam meam illa peregrinatio patefecit. Tu vero quotidie mirabar is unde ea laborum patientia in literarum otio michi nato ac enutrito, presertim cum et anni tempus esset adversum et vepricosum iter et inculta regio, quodque super omnia nos angebat, conversatio dura et multum nostris moribus aliena. [13] Sed forte, quoniam sensim ratiocinatio ad verum dicit, non quecunque potuimus, possumus; dies auget, dies imminuit. Ab ea peregrinatione quarta nunc estas agitur, triennio senior factus sum; quod tempus non tantum mutando corpusculo mortalis hominis, sed evertendis imperiis atque urbibus late patet. Ludo tecum, ut vides; magnus interdum dolor, ubi lamenta defuerint, in iocos vertitur. Omnis quidem dies, fateor, gradus est ad mortem, et vagientes in cunabulis infantes crescendo pariter senescunt.

[14] Neque tamen ea etas est michi, que naturale detrimentum sentiat, quippe que nondum plena est. Itaque crescentibus adhuc annis provehor, multoque et membris et animo validior in dies fio; quamvis non ignorem quid sequatur. Viator enim quo altius ascendit, eo descensui proximior fit, et si dici fas esset, quodammodo ascendendo descendit. Idem michi accidit; interim tamen ascendo.

[15] Que cum ita sint, ydoneam facti tui causam forte tu noveris; ego eam palpitabundus inquiero nec invenio; et hoc uno vel maxime amare me intelligo, quod amantium mos est primis quidem offenditionibus moveri; mox, ubiflammam extinguere non datur, ad excusationum medicamenta configere; et quod acrius factum dolent, vel nequaquam factum, si liceat, vel bono animo factum dicere. Hoc igitur ago, si possum, ut iure desertus videar. [16] Quod utinam michi persuadeam! Et profecto fieri potest ut tu nec profectionem meam impedire volueris, nec potueris redditum expectare; et cum me ab amplexu tuo lacrimantem dimitteres, novam michi gemendi

materiam inculcare nolueris. Vellem inclemetior fuisses; pietas enim tua in contrarium versa est. [17] nexpectato nil hoste nocentius, et intempestiva quelibet graviora sunt; unde, si absque fletibus esse non poteram, melius tunc flevissem, quoniam natura hoc habet, ut abeuntium potius quam redeuntium comites lacrimas videamus.

[18] Tu, precor, quamprimum cogita qualiter te michi exundanti illo defendas eloquio; quam vere, nichil ad rem; modo verisimiliter, satis erit: credere parato nulla inefficax persuasio est. Interim facilius inducar ut culpe tue ignoscam, quam fortune mee. Vale, nostri memor.

Lugduni, V Idus Augustas.

Ad Thomam Messanensem, contra senes dyaleticos.

[1] Temerarium est cum eo hoste configere, qui non tam victoriam appetit quam certamen. Scribis quandam senem dyaleticum literis meis vehementissime permotum, quasi artificium suum ego damnaverim, ideo palam fremere et minari multa se quoque in studia nostra suis literis invecturum; eas te literas multis nequicquam mensibus expectasse. [2] Noli eas expectare amplius; crede michi, nunquam venient. Hoc modestie remansit. Sive is stili pudor, sive ignorantie confessio est, lingua implacabiles calamo non contendunt; nolunt apparere quam frivola sunt quibus armantur, ideoque, more parthico, fugitivum pugne genus exercent et volatilia verba iactantes, quasi ventis tela committunt. [3] Cum his, ut dixi, suo more contendere temerarium est, quippe qui summam voluptatem ex contentione percipiunt, quibus non verum invenire propositum est,

sed altercari. Atqui Varronis proverbium est: «Nimium altercando veritas amittitur».

[4] Noli autem trepidare ne in apertum scripture solidique colloquii campum descendant; hi sunt enim, de quibus Quintilianus inter Institutiones oratorias loquebatur: «Quos reperias in disputando mire callidos, cum ab illa cavillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo graviore actu quam parva quedam animalia, que, in angustiis mobilia, campo deprehenduntur». Merito itaque campum timent. Verum est enim illud eiusdem: «Diverticula et anfractus suffragia esse infirmitatis, ut qui cursu parum valent, flexu eludent». [5] Tibi vero, amice, unum hoc dixisse velim: si virtutem, si veritatem sequeris, id genus hominum vita. Sed quonam fugiemus a facie insanorum, si ne insule quidem tute sunt? Ergo nec Scylla nec Caribdis obstiterit, quominus hec pestis in Trinacriam transnataret? Imo vero iam insularum peculiare malum est, si dyaleticorum agmini britannico ethnea nunc novorum Cyclopum acies accesserit. Hoccine est quod in Cosmographia Pomponii legeram, Sicilie maxime similem esse Britanniam? [6] Ego quidem putabam similitudinem hanc in terrarum situ ac prope triangulari utriusque specie et fortasse etiam in circumfusi maris perpetua collisione consistere; nichil de dyaleticis cogitabam. Audieram Cyclopas primum, postea tyrannos, utrosque feroce incolas; tertium monstri genus advenisse non overam, armatum enthimemate bisacuto et ipso Taurominitanii litoris fervore procacius. [7] Unum sane et ego pridem animadverteram et tu nunc admones: eos sectam suam aristotelici nominis splendore protegere; dicunt enim Aristotilem ita solitum disputare. Est, fateor, qualisqualis excusatio, clarorum ducum inhesisse vestigiis; nam et Marcus Tullius “non invitum” se cum Platone, si oporteat, “erraturum” dicit. Sed falluntur. [8] Aristotiles enim, vir ardentis ingenii, de rebus altissimis vicissim et disputabat et scribebat; alioquin, unde huius tam multa volumina summo studio et tantis exhausta vigiliis, inter multorum et

presertim illius fortunati discipuli graves occupationes, et in etate non longa? siquidem circa illum apud scriptores infamem, tertium scilicet et sexagesimum vite annum defunctum accepimus. [9] Isti autem cur a duce suo tam diversi abeunt? cur, queso, aristotelicos dici iuvat et non potius pudet? Nichil illi tanto philosopho dissimilius homine nichil scribente, parum intelligente multumque et inutiliter clamante. [10] Quis illas conclusiunculas non rideat, quibus literati homines se simul et alios fatigant, in quibus omnem etatem conterunt, quippe ad alia inutiles, ad hoc ipsum precipue damnos? Qualia sunt que a Cicerone et a Seneca pluribus locis irridentur; [11] quale est illud Dyogeni propositum, quem dum contumeliosus dyaleticus verbis esset aggressus hoc modo: “Quod ego sum, id tu non es”, annuissetque Dyogenes”, ille subiunxit: “Homo autem ego sum”; cum id etiam non negasset, conclusionem subintulit cavillator: “Homo igitur tu non es”. ‘Enimvero ultimum hoc’ inquit Dyogenes, “falsum est; et si verum fieri vis, a me incipe”. [12] Multa sunt id genus perridicula, in quibus quid querant — an famam, an oblectamentum, an bene beateque vivendi consilium — sciunt ipsi forsitan, michi nichil ignotius. Nam lucrum haud digna studiorum merces nobilibus ingeniis videri debet; mechanicorum est lucra captare; honestarum artium generosior finis est. [13] Dum hec audiunt, irascuntur; est enim fere multiloquium contentiosi hominis iracundie proximum. ‘Ergo’ inquiunt, ‘dyaleticam tu condemnas?’ Absit; scio enim quantum illi Stoici tribuant, secta philosophorum fortis et mascula; cuius, cum sepe alias, tum in libro De Finibus Cicero noster meminit; scio quod una liberalium est et gradus ad alta nitentibus interque philosophorum dumeta gradientibus non inutilis armatura. Excitat intellectum, signat veri viam, monstrat vitare fallacias; denique, si nichil aliud, promptos et perargutulos facit. [14] Hoc ita esse non infitior. Sed non statim qua honeste transivimus, laudabiliter immoramus; quinimo viatoris insani est amenitate viarum metam quam destinaverat, oblivious; muta

cito transisse et nunquam citra terminum substitisse, viatoris laus est. Et quis non viator ex nobis est? brevi omnes adversoque tempore, tanquam hiberno pluviali die, longum ac difficile iter agimus; cuius dyaletica pars esse potest, utique terminus non est; et potest pars esse matutina, non serotina. [15] Plurima quidem honeste fecimus, que turpissime faceremus; si enim dyaletice scolas, quod in eis pueri lusimus, senes relinquere nescimus, eodem iure nec “par impar ludere” nec “arundine” tremula “equitare” pudeat nec rursum cunis infantibus agitari. Sunt mire varietates rerum ac vicissitudines temporum, quas occurrens natura fastidio, vigilantissimo artificio meditata est; eas non putas in anni tantum circulo, sed multo magis in longa etate reperiri. [16] Ver floribus et arborum comis, estas frugibus dives est, autumnus pomis, hiems nivibus abundat. Hec, modo non tantum tolerabilia sed grata, si pervertantur, fient, concussis nature legibus, importuna; et ut nemo erit qui vel Iani glaciem equo animo per estatem perferat, vel solis ardorem alienis mensibus sevientem; sic nemo reperietur qui vel senem infantibus colludentem non oderit aut rideat, vel puerum canum aut podagricum non miretur. [17] Quid autem, queso, ad omnem disciplinam tam utile, imo tam necessarium est quam ipsarum literarum prima cognitio, in quibus omnium studiorum fundamenta consistunt? Sed, ex diverso, quid sene ridiculous in talibus occupato? [18] Tu ergo senis tui discipulos meis verbis excita; neque deterreas, sed hortare, non quidem ut ad dyaleticam, sed ut per eam ad meliora festinent. Seni autem dic non me liberales artes damnare, sed senes pueros; ut enim nichil “elementario sene turpius”, quod ait Seneca, sic nichil dyaletico sene deformius. Et si sillogismos eructare ceperit, fuge, consulo, ac iube illum disputare cum Enchelado. Vale.

Avinione, IV Idus Martias.

Ad Thomam Messanensem, de inventione et ingenio.

[1] Quid agendum tibi sit, consulis in eo statu in quo fere omnis scribentium turba est, quando et sua cuique non sufficient et uti pudet alienis et interim a scribendo cessare non sinit ipsa rerum dulcedo insitaque mortalium animis glorie cupiditas: sic itaque perplexus atque hesitans ad me redit. Primum omnium, consultius fuerat certiorem adiisse consultorem, a quo vel multa et varia, vel unum quocunque optimum et electissimum esset, accepisses. *Enimvero* nunc ad ostium pauperis pulsasti, unde tamen, me volente, non omnino vacuus abibis: quod ab alio mendicavi, id tibi libens impartiar.

[2] Michi quidem, fateor, de hac re non amplius quam unicum consilium est; quod si fortassis inefficax experimento deprehenderis, Senecam culpabis; at si efficax, sibi non michi gratiam referes; denique, in omnem eventum, illum habeas velim consilii huius auctorem. Cuius summa est: apes in inventionibus imitandas, que flores, non quales acceperint, referunt, sed ceras ac mella mirifica quadam permixtione conficiunt. [3] Eius autem non sensum modo, sed verba Macrobius in Saturnalibus posuit; ut michi quidem uno eodemque tempore quod legendo simul ac scribendo probaverat, rebus ipsis improbare videretur; non enim flores apud Senecam lectos in favos vertere studuit, sed integros et quales in alienis ramis invenerat, protulit. Quanquam quid ego alienum aliquid dixerim, licet ab aliis elaboratum, cum Epycuri sententia sit ab eodem Seneca relata, quicquid ab ullo bene dictum est, non alienum esse sed nostrum? [4] Non est itaque cur Macrobius culpandus sit, quod magnam epystole unius partem in prohemio operis illius non tam transtulit quam trascrispsit; id enim et michi forsitan interdum et multis maioribus

accidit. Sed illud affirmo: elegantioris esse solertie, ut, apium imitatores, nostris verbis quamvis aliorum hominum sententias proferamus. [5] Rursus nec huius stilum aut illius, sed unum nostrum conflatum ex pluribus habeamus; felicius quidem, non apium more passim sparsa colligere, sed quorundam haud multo maiorum vermium exemplo, quorum ex visceribus sericum prodit, ex se ipso sapere potius et loqui, dummodo et sensus gravis ac verus et sermo esset ornatus. Verum, quia hoc aut nulli prorsus aut paucissimis datum est, feramus equanimiter ingenii nostri sortem, nec altioribus invidentes, nec despicientes qui infra nos sunt, nec paribus importuni. [6] Scio autem quid tu nunc tacitus dicis: ‘Homo hic me a studio retrahit et ab industria dehortatur, dum patienter ignorantiam ferre docet’. Ego vero nichil magis cavendum arbitror, quam ne ignavia consenescat ingenium. Licet enim Cicero scribat videri sibi «homines, cum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis prestare quod loqui possunt», tamen id vel oratori, ad commendationem artis quam tradebat, indulgendum fuit, vel sic accipiendum, ut ipsum loqui posse sine previo intellectu esse non possit.

[7] Alioquin multo michi potius videntur in eo precellere, quod intelligere, quod discernere, quod multa scire ac meminisse possunt, quod beluis natura non tribuit, tametsi aliquam intellectus discretionis et memorie similitudinem habere videantur. [8] Quid ergo? hortor atque obsecro ut omni vigilantia et summis viribus animi tenebras, ignorantiam depellamus, enitamurque in terris aliquid addiscere, quo via nobis ad celum fiat. Sed inter nitendum meminerimus, si forte, quia non omnes uno sidere nascimur, tarditati nostre iter ad summa non panditur, decere nos ingenii terminis esse contentos, quos Deus nobis et natura prefixerint; quod nisi fecerimus, nunquam sine mentis anxietate futuri sumus.

[9] Quandiu enim in cognitionem rerum ibimus, quod iter nunquam intermittere usque ad extremum spiritum debemus, novi quotidie recessus apparebunt, ad quos se ignorantia nostra non porriget. Hinc meror et indignatio et contemptus nostri. Quas latebras quoniam vulgus indoctum non videbit, letius deget atque tranquillus. Ita fiet ut scientia, que ingens causa sacre delectationis esse debuerat, molestissimam solitudinem inferat et vitam, cuius se ducem pollicebatur, interimat. Adsit ergo cuntas in rebus modestia. [10] Illa nobis suadet ut non in his solum que fortune aut corporis dicuntur, sed in his etiam que animi bona sunt, quecunque nobis portiuncula obvenerit, de modicis quoque non modicas grates agere consuescamus largitori eterno, qui optime quid nobis expedit videt, idque largitus est, non quod delectabilius, sed quod oportunius novit. Et nimirum, sicut iure laudatur “senex” ille “paucorum iugerum”, qui “regum equabat opes animo”, sic ille laudabitur deformis hebes aut balbus, qui Alcibiadis formam animo, qui Platonis ingenium aut eloquentiam Ciceronis equaverit. [11] Cui igitur ingenium deest, non desit equanimitas; cui adest, adsit et moderatrix rerum omnium discretio, ut incorrupto iudicio vires suas extimet, ne forte sibi blandiens et ipse se fallens, importabili fasce se pregravet, contra illud quod in Arte Poetica scriptum est:

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, equam
Viribus, et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.*

[12] Nempe adiuvandum studio ingenium est et meditationibus sublevandum, sed minime cogendum quo non possit ascendere; alioquin, preterquamquod conatus erit itritus, sepe accidet ut dum impossibilia cupimus, possibilia negligamus. [13] Dictum breve sed utile, nisi fallor, et memorabile inseram, quod apud Quintilianum, acutissimum virum, legi; quod quoniam breviter ac dilucide ab eodem scriptum erat, mutare verba non libuit. «Accidit enim» inquit, «etiam

ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur et in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse michi Iulum Secundum illum, equalem meum atque a me, ut notum est, familiariter amatum, mire facundie virum, infinite tamen cure, quid esset sibi a patruo suo dictum. [14] Is fuit Iulius Florus, in eloquentia Galliarum — quoniam ibi demum exercuit eam — princeps, alioquin inter paucos disertus et dignus illa propinquitate. Is cum Secundum, scole adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit que causa frontis tam obducte; nec dissimulavit adolescens tertium iam diem esse, quod omni labore materie ad scribendum destinate non inveniret exordium; quo sibi non presens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens: ‘Nunquid tu’ inquit, ‘melius dicere vis quam potes?’». [15] Hoc nepoti suo Florus; Quintilianus autem nobis, imo omnibus, «Ita» inquit, «se res habet. Curandum est ut quam optime dicamus; dicendum tamen pro facultate. Ad profectum enim opus est studio, non indignatione». Quod consilium ab eloquentia ad actus alios vite hominum multipliciter trahi potest; sed quoniam de ingenio facundiaque sermo erat, utriusque rei, ut ceterarum omnium, dicitur et paupertas equo animo ferende.

[16] Siquem sane tam benigno lumine astra respexerint, ut ipse sibi sine externe opis adminiculo satis sit et per se ipsum magnificos sensus possit exprimere, multum habet quod dono gratie celestis ascribat; caveat insolentiam et cum multa humilitate fruatur muneribus Dei; suum apibus morem linquat.

[17] Nos autem quibus non tam magna contigerunt, apes imitari non pudeat; ille quidem, ut Virgilius noster ait,

Ventre... hiemis memores estate laborem

Experiuntur et in medium quesita reponunt.

Experiamur et nos, dum tempus est, dum fervet etas et viget ingenium; non expectemus donec frigus senectutis obrepatur et estive

claritati nubila hiberna succedant. De apibus autem apud eundem poetam legimus, quod eas

*estate nova per florea rura
Exercet sub sole labor;
et iterum alio loco, quod ille
in pratis... estate serena
Floribus insidunt variis et candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.*

[18] Si volumus itaque ab illustri morum preceptore traditum consilium ad utilitatem nostram latius extendere, quecunque de apibus scripta sunt, ad humane inventionis industriam referamus. Estas nostra quid est aliud nisi etas ista flagrantior? rursus, quid est algenti brume similius quam senectus? Quem vero tunc nobis huius temporis aut otii fructum sperandum esse proponimus, quas ingenii messes, si nunc facie laboris exterriti cessamus? quid ex horreis nostris posteritas feret, si desidia torpente consistimus?

Nudus ara, sere nudus: hiems ignava colono.

[19] Sed ne ab apibus ad colonos dilabatur oratio, nunc potius, nunc, “in pratis” et per rura multorum “floribus variis” insidamus; perscrutemur doctorum hominum libros, ex quibus sententias florentissimas ac suavissimas eligentes, “candida circum lilia fundamus”; idque sicut indefesse, sic modeste leniterque faciendum est. Studiorum nostrorum non inanem vulgi gloriam ventose contentionis argutiis partam, sed veritatis effectum ac virtutis, honestiorem terminum statuamus. [20] Licet, michi crede, sine clamosis altercationibus scire aliquid; non facit clamor, sed meditatio doctiorem. Profecto itaque, nisi videri magis quam esse propositum nobis est, non tam plausus insane multitudinis quam veritas in silentio placebit; erimusque tenui sono protulisse nobis ipsis interdum autenticarum scripturarum verba contenti, atque ita non fragore resonabit, sed “strepit omnis murmure campus”.

[21] Et quoniam, ut vides, liberalius ago quam “dubitacionis” tue necessitas exigebat, aliud etiam premissis addiderim, ut omnem locum fugias ubi aut turpiter aut pompatice vivitur et ad solius fame popularis arbitrium; nec minus tibi quam apibus pestiferum scias habitaculum,

*Aut ubi odor ceni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.*

[22] Neque tibi soli hoc dictum putas, sed omnibus, quicunque in aliqua rerum laudabilium inventione versantur. Duobus his precipue nobilia multorum suffocantur ingenia: libidinum consuetudine et opinionum perversitate vulgarium; dum enim illa sedet intrinsecus, exterius ista circumsedet, enervatur animus et longius ab ipsa veritatis agnitione distrahitur.

[23] Hec visa sunt de apium imitatione que dicerem, quarum exemplo, ex cuntis que occurrent, electiora in alveario cordis absconde eaque summa diligentia parce tenaciterque conserva, nequid excidat, si fieri potest. Neve diutius apud te qualia decerpseris maneant, cave: nulla quidem esset apibus gloria, nisi in aliud et in melius inventa converterent. [24] Tibi quoque, si qua legendi meditandique studio reppereris, in favum stilo redigenda suadeo; hinc enim illa profluent que tibi iure optimo et presens et ventura etas attribuet, atque — ut nulos hodie flosculos nisi ex virgilianis carpamus arboribus —

*hinc anni tempore certo
Dulcia mella premes, nec tantum dulcia quantum
Et liquida et durum Bachi domitura saporem.*

Vale.

III Idus Aprilis.

Ad eundem Thomam Messanensem, de studio eloquentie.

[1] Animi cura philosophum querit, eruditio lingue oratoris est propria; neutra nobis negligenda, si nos, ut aiunt, “humo tollere et per ora virum volitare” propositum est. Sed de priore alibi; magna enim res est et labor ingens, sed messis uberrima; hoc loco, ne in aliud exeam quam quod me ad calatum traxit, exhortor ac moneo ut non vitam tantum et mores, quod primum virtutis est opus, sed sermonis etiam nostri consuetudinem corrigamus, quod artificiose nobis eloquentie cura prestabit. [2] Nec enim parvus aut index animi sermo est aut sermonis moderator est animus. Alter pendet ex altero; ceterum ille latet in pectore, hic exit in publicum; ille comit egressurum et qualem esse vult fingit, hic egrediens qualis ille sit nuntiat; illius paretur arbitrio, huius testimonio creditur; utrique igitur consulendum est, ut et ille in hunc sobrie severus, et hic in illum veraciter norit esse magnificus; quanquam ubi animo consultum fuerit, neglectus esse sermo non possit, sicut, ex diverso, adesse sermoni dignitas non potest, nisi animo sua maiestas affuerit. [3] Quid enim attinet quod ciceronianis te fontibus prorsus immerseris, quod nulla te neque Grecorum neque nostrorum scripta pretereant? ornate quidem, lepide, dulciter, altisone loqui poteris; graviter, severe sapienterque et, quod super omnia est, uniformiter certe non poteris. Quoniam nisi primum desideria invicem nostra convenient, quod preter sapientem scito nemini posse contingere, illud necesse est ut, dissidentibus curis, et mores et verba dissideant. At bene disposita mens instar immote serenitatis placida semper ac tranquilla est: scit quid velit, et quod semel voluit, velle non desinit; itaque, tametsi

oratorie artis ornamenta non suppetant, ex se ipsa magnificentissimas voces atque gravissimas et certe sibi consonas elicit. [4] Negari autem nequit quiddam singularius emergere quotiens, compositis primum animi motibus, quibus estuantibus nichil feliciter eventurum sperare licet, eloquentie studio tempus impenditur. Que si nobis necessaria non foret et mens, suis viribus nisa bonaque sua in silentio explicans, verborum suffragiis non egeret, ad ceterorum saltem utilitatem, quibuscum vivimus, laborandum erat; quorum animos nostris collocutionibus plurimum adiuvari posse non ambigitur.

[5] Instabis autem et dices: ‘Heu quantum et nobis tutius et illis efficacius fuerat suadere, ut eorum oculis nostre virtutis exempla preberemus, quorum illi pulcritudine delectati ad imitationis impetum raperentur! Natura enim hoc habet, ut multo melius multoque facilius factorum quam verborum stimulis excitemur perque hanc viam expeditius ad omnem virtutis altitudinem consurgamus’. Ego vero non adversor; quid enim de hoc sentirem, iam tunc intelligere potuisti, cum in primis animum componendum esse premonui. Non equidem sine causa reor dixisse Satyricum:

Prima michi debes animi bona;

non essent autem prima, siquid illa precederet. [6] Veruntamen quantum quoque ad informationem humane vite possit eloquentia, et apud multos auctores lectum et quotidiana experientia monstrante compertum est. Quam multos, quibus nichil omnino loquentium exempla contulerant, etate nostra velut experrectos agnovimus et a sceleratissime vite cursu ad summam repente modestiam alienis tantum vocibus fuisse conversos! [7] Non referam tibi nunc que de hac re Marcus Cicero in libris Inventionum copiosius disputat — est enim locus ille notissimus —, nec fabulam Orphei vel Amphionis interseram, quorum ille beluas immanes, hic arbores ac saxa cantu movisse et quocunque vellet duxisse perhibetur, nonnisi propter excellentem facundiam, qua fretus alter libidinosos ac truces

brutorumque animantium moribus simillimos, alter agrestes et duros in saxi modum atque intractabiles animos, ad mansuetudinem et omnium rerum patientiam creditur animasse. [8] Adde quod hoc studio multis in longinqua regione degentibus prodesse permittimur; ad quos enim nostri copia et convictus nunquam forte venturus est, sermo perveniet. Iam vero quantum posteris collaturi simus, optime metiemur, si quantum nobis contulerint maiorum nostrorum inventa, meminerimus.

[9] Sed hic rursus occurses: ‘Quid enim est opus amplius elaborare, si omnia que ad utilitates hominum spectant, iam ante mille annos tam multis voluminibus stilo prorsus mirabili et divinis ingeniis scripta manent?’ Pone, queso, hanc solitudinem; nunquam te res ista trahat ad inertiam; hunc enim metum et quidam ex veteribus nobis abstulerunt et ego post me venturis aufero. Decem adhuc redeant annorum milia, secula seculis aggregentur: nunquam satis laudabitur virtus; nunquam ad amorem Dei, ad odium voluptatum precepta sufficient; nunquam acutis ingeniis iter obstruetur ad novarum rerum indaginem. [10] Bono igitur animo simus: non laboramus in irritum, non frustra laborabunt qui post multas etates sub finem mundi senescentis orientur. Potius illud metuendum est, ne prius homines esse desinant, quam ad intimum veritatis archanum humanorum studiorum cura perruperit. [11] Postremo, si ceterorum hominum caritas nulla nos cogeret, optimum tamen et nobis ipsis fructuosissimum arbitrarer eloquentie studium non in ultimis habere. De se alii viderint; de me autem, quid mereantur in solitudine quedam voces familiares ac note, non modo corde concepte, sed etiam ore prolate, quibus dormitantem animum excitare soleo; quam preterea delectet vel aliorum vel mea nonnunquam scripta revolve; quantum ve ex ea lectione exhonerari me sentiam gravissimis acerbissimisque molestiis, non facile dicturum me speraverim. [12] Eoque magis propriis adiuvor interdum, quo illa languoribus meis aptiora sunt, que

conscia manus medici languentis et ubi dolor esset sentientis, apposuit. Quod nunquam profecto conquerer, nisi verba ipsa salutaria demulcerent aures, et me ad sepius relegendum vi quadam insiste dulcedinis excitantia sensim illaberentur atque abditis aculeis interiora transfigerent. Vale.

Kalendis Maiis.

10

Ad eundem Thomam Messanensem, descriptio avari senis.

[1] Senicum tuum optime valentem neveris. Mores non animo tantum, sed et corpori opitulantur; frugalitas bone valitudinis soror est. Hunc, nisi fame conficitur, immortalem scito: ita siccum et defecatum corpusculum est, ita nichil loci febribus aut podagre. Victum hominis aspectus ipse testatur: vultus pallor, macies et oculorum specus et triste supercilium et inculta severitas; accedit in coturni morem subductus calceus et attritum senio palliolum. Modo literas nosset, philosophorum aut poetam diceres; philosophicum enim tergum, tragicos pedes habet

[2] Quicquid ad hec additur, supervacuum erit; ut tamen paucis expediam, haud absimilis est seni plautino, cuius mores atque animum mordaci sale respergens, servus ille in

Aulularia,

Pumex

inquit,

non eque est aridus atque hic senex...

Suam rem perisse seque eradicarier,

Divum atque hominum clamat continuo fidem,

De suo tigillo fumus siqua exit foras.

*Quin cum it dormitum, follem obstringit ob gulam,
... nequid anime forte amittat dormiens;
Etiam...obturat inferiorem gutturem,
...nequid anime forte amittat dormiens...
Aquam...plorat, cum lavat, profundere...
Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor unguis dempserat,
Collegit omnia abstulitque presegmina...
Pulmentum quidem ei eripuit milvus,
Homo ad pretorem plorabundus devenit,
Infit ibi postulare, plorans, eiulans,
Ut sibi liceret milvum vadairier.
Sexcenta sunt que memorem, si sit otium.*

[3] Hec ille; huius autem nostri sexies sexcenta talia curiosus fabulator inveniet. Hospitem Apuleii Milonem prodigalitatis arguet quisquis hunc viderit vel semel audieritque disciplinam rei familiaris yconomicis nulli unquam philosopho cognitis regulis coarctantem. Sed nimis alienis vitiis immoramus; redeamus ad propria. [4] Omnes fere mortales uno morbo laboramus: extremis contrariis iactamur, et est illud Flacci verissimum:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Quid autem interesse credimus inter Rufilli pastillos et Gorgonii hircum, aut inter Aristippi iacturam et Staberii epygramma? Non oportet errare per devia et longe querere quid beatos faciat: vitia in extremis habitant, virtus in medio est. Vale.

Ad eundem Thomam (Messianensem), descriptio famelici parasiti.

[1] Feliciter, puto, successit prima percontatio. Secundam facis. Experiri vis, ut arbitror, in demonstrativo cause genere quid possim. In laudibus potius quam in contrario me probasses! Sed quando sic placitum tibi et sine nomine res agitur — quamvis exacta peryfrasis vicem proprii nominis obtineat —, et hic quoque questioni tue morem geram. [2] Is de quo queris, «scurra vagus» est, qualem describit Horatius:

qui non certum presepe teneret,

Impransus non qui civem dignosceret hoste;

in summa omnium importunissimus, qui unquam parasitice arti operam dederunt; nichilo tamen felicior quam si omnium desidiosissimus foret. Non tam vel nauta scopulum, vel grandinem agricola, vel mercator furem, quam eum omnes metuunt, omnes declinant, omnes cedunt semita, quasi honeratus spinis adveniat. Ubique vias vacuas, deserta atria, obseratas fores invenit; perinde adventu eius fugitur, quasi in gremio bellum ferat. [3] Nunquam tamen incommodius ista contingunt quam hoc anni tempore. Estas, utcunque, pauperum portus est: una arbor et vestem et cibum et tectum et cubile sufficit. Nunc quid agat? conspirat hiems, senectus, inopia nullus opem fert et — que omnium rerum durissima — sine miseratione miseria est. [4] Vidi illum hodie valido aquilone iactatum: ibat alte succinctus, “dederatque comam diffundere ventis”, maronee Veneris in morem. Si fulvum “lupi de pelle” galerum “tegmen capiti” habuisset, in reliquis, hernico a Pelasgis accepto habitu, in bellum ibat; “sinistri” enim “pedis vestigia” nudus erat. Ea rabies urgebat, ut

convenire sibi posset quod apud Plautum de se preceps ille parasitus
predicat:

... meus est balista pugnus, cubitus catapulta...

Humerus aries.

Talis erat; ita tamen, ut inter minas diuturne famis vestigia
cernerentur. Hominem denique, ut Plautus idem ait,

Neque iejuniosiorem neque magis effractum fame

Vidi, nec cui minus procedat quicquid facere occipit.

[5] Postremo, dum e conspectu in angiportum deflexissem, ut
pyraticum velut scalmum latebris evaderem, vidi illum in transitu
fumi globos per nebulas exhalantem, ceu Caci speluncam aut unam
quamlibet Eolicarum insularum preterveherer. Audivi nescio quem
tremulum atque confusum illis e faucibus erumpentem sonum; quid
dicere vellet ignoro, tam concisim verba frangebat; sed puto proprios
pedes ac scapulas illo satyrico solaretur elogio:

durate atque expectate cicadas.

Habes quod optabas; maledicum me fecisti. Vale.

12

**Ad eundem Thomam Messanensem, ex reliquiis concertationis supra
posite cum dyaletico sene garrulo.**

[1] Ecce, iterum tentamur. Dyaleticus tuus, ut scribis, quiescere non
potest. Miraris? mirarer ego si quiesceret, cuius gloria in strepitu et
convitiis sita est. Sed bene habet quod nec ille scribere aliquid novit,
nec ego eum hinc exaudio; ita et aures, interiecto maris ac terrarum
spatio, et oculi mei illius ignorantia tuti sunt; totum importuni

collocutoris pondus in tuum caput refunditur, et merito, quoniam literas meas dyaleticis ostendisti. [2] Ex omnibus sane, que te illius raucissimo latratu collegisse te dicis, hoc primum erat et maximum, quod artificium nostrum omnium minime necessarium dicit. Ecce, iam virus quod in aliis literis minabatur, evomuit. Sed est ne hoc quod in studia nostra se inventurum predixerat? Preclare. ‘Artificium’ inquit, ‘vestrum ex omnibus minime necessarium’. [3] Primum de artificio viderimus; nescio enim quid artificii nobis attribuat, sed puto de poetica eum intelligere. Hanc minime necessariam dicit. Non infitor; idem enim videtur et nostris. Namque

animis natum inventumque poema iuvandis,

et Flaccus ipse testatur, et res ipsa docuit poeticam delectationi atque ornamento esse, non necessitati, editam. Vivat ergo dyaleticus tuus et cornutis semper affluat sillogismis, quando et nobiscum sentit et non est ignarus omnium, ut rebar. [4] Sed nequaquam his terminis continetur torrens et fervidum ingenium. Quid ergo? rapidum enthimema contorquet: ‘Si minus necessaria’ inquit, ‘et minus nobilis’. O quam male tegitur insan! iam se non dyaleticum modo, sed freneticum ostendit. Ergo sutrina et pistrina et vilissime mechanicarum artium, si necessitas nobilitare illas potest, nobilissime omnium fient; philosophia autem et relique omnes, quecunque beatam atque excultam et ornatam vitam faciunt, si necessitatibus vulgi nil conferunt, ignobiles. [5] O doctrinam novam et exoticam, ipsi quoque — cuius nomen infamant — Aristotili incognitam! Ille enim ait: «Necessariores quidem omnes, dignior vero nulla». Legat primum Methaphisice librum et inveniet. Sed ignota regione verum sequi et scrupoloso tramite senem ire iubeo: non parvus labor! Vale.

III Idus Decembris,

ad fontem Sorgie.

Liber 2

1

Ad Philippum Cavallicensem epyscopum, suorum mortes equo animo ferendas.

[1] Ingens scribendi negotium michi nunc adimit virtus tua. Ut enim corporis, sic animi gravius affecti difficilior cura est; utrique autem sano aut nullis aut plane levioribus remediis est opus; utque illic medico, ita hic consolatori minus imo vero nichil est opere. Tecum ergo, vir optime, accuratius agerem, si te fregisset aut stravisset adversitas; nunc, cum fortune impetum forti animo tuleris, consolatoris michi partes eripiens, laudatoris ac miratoris officium reliquisti. [2] Qua in re, ut dicebam, operosioris stili michi materiam precidisti; consolatio enim, ut in mesti auditoris animum penetret, eget multa verborum maiestate, eget gravibus animosisque sententiis; virtuti testimonium simplex et incultum sufficit, nec oportet veritatem rerum fictis adumbrare coloribus, quoniam virtus ipsa sibi plaudit et proprio contenta preconio, alterius theatri strepitum non requirit. [3] Veneram ad te nuper, acri rumore percusus immature mortis amantissimi fratrī tui, et quam concussus esset animus tuus ex mei pectoris anxietudine metiebar; nec cogitabam quosdam ictus invalidis tyronibus fuisse mortiferos, quos sprevisset fortis et expertus miles; quosdam, alieni sanguinis effusione perterritos, exclamasse ingemuisse expalluisse sepe in extasim concidisse, cum tamen interim quorum ille pectoribus emanabat, taciti et intrepidi starent siccisque oculis vulnerum suorum fluenta conspicerent. [4] Veneram itaque mestus et ad bene valentem medicus eger accesseram. Inveni faciem tuam, inter affectum debite pietatis ac decorem proprie honestatis,

fraterne compassionis et virilis animi signa preferentem. Utrunque michi placuit; alterum mansuetudinem, alterum sapientiam tuam decet. Humanum est in morte suorum pietatis testes lacrimas fundere; virile est modum illis imponere easque, cum aliquandiu fluxerint, coercere; id te, utrinque qua decuit, implesse, vultus tui habitus designabat.

[5] Accesserunt et verba maximorum plena sensuum, ex quibus ego, qui consolandi proposito adveneram, non tam tibi opem meam necessariam cognovi quam ipse solamen curis meis elicui. Nichil ergo consolantis in morem locuturus, laudo probo admiror et stupeo magnitudinem animi tui.

[6] Fratrem optimum amisisti; imo vero non amisisti, sed in patriam premisisti, ad quam tibi quoque veniendum est. Sed loquamur ut vulgus, non sentiamus ut vulgus: fratrem amisisti; non amisisses nisi foret ille mortalis. Querela est igitur non de unius hominis morte, sed de mortalitate nature, que nos ea lege introduxit in hanc vitam, ut egrederemur ad revocantis imperium. [7] ‘At revocavit ante tempus et precipiti edicto fecisse videtur iniuriam’. Nullum hic prefinitum tempus est; sine termino debitores sumus. Si essemus in diem obligati, possemus utique differre, tergiversari et exactricis avaritiam culpare; nunc de celeritate conqueri non possumus, quasi ante diem repetatur quod statim ut accepimus, debuimus. [8] ‘Sed poterat ulterius vivere’. Poterat et citius mori; poterat et aliter mori, et quanquam honesto viro nulla mors possit in honesta contingere, poterat tamen durius mori. Iste vero sic vixit, sic mortuus est, ut Deo gratias agere debeas, et quod tales dedit et quod taliter abstulit. [9] Et si fata rerum humanarum ac varietatem casuum recognoscas, non solum non lugebis, sed fortassis etiam gaudebis extinctum; sepe enim mors labores vite presentis intercipit, sepe preoccupat. Quis anxietates et solicitudines mundi huius, quis miserias, quis erumnas et tot contumelias fortune, quis animi corporisque pericula et in utrunque ius habentium morborum

turbas enumeret? Quibus etsi non omnibus premimur, semper tamen subiacemus, donec nos ab eorum potestate suprema dies exemerit. [10] Ab his omnibus itaque frater tuus beneficio tempestive mortis immunis est. In hoc enim, pater benignissime, fallimur et nimis vulgariter erramus, quod morientes dicimus vite commodis abduci, qui tamen, si quis altius consideret, ab innumerabilibus malis morte discedunt. Quod facillime possem et autoritatibus et rationibus et exemplis ostendere, nisi quia longum sermonem epystole brevitas non capit. Iam ergo felix adolescens ista non metuit; evasit enim hinc et modicum discessit a nobis, talem sui nominis odorem post se linquens, ut non parva dulcedine memorantium sensus et corda permulceat. [11] ‘At hoc’ inquiet quispiam, ‘dolemus, quod bonum nobis et egregium virum mors preripuit; laus enim defunctorum quadam damni memoria lacrimas viventibus excutit, et inconsolabilem gemitum parit irreparabilis iactura’. Non sum nescius hoc a plerisque dici solere; ego autem, ut viva voce tecum dixisse memini, longe aliter extimo. [12] Agebatur ad supplicium Socrates iniquissimis iudicum sententiis, eoque animo ibat ad mortem quo steterat semper in vita: magno quidem et erecto et qui fortune iugum ferre non nosset. Letus erat quod tyrannorum minas, quas vivendo despexerat, moriendo relinquaret. Hunc, tali constantia porrectum sibi a carnifice veneni vasculum iam labiis applicantem, multum dispariter affecta uxor avertit, cuius inter cetera feminei ululatus commiseratio viri erat, quod is iustus atque innocens moreretur. Quod ille audiens et a potu tantisper in uxorem versus: ‘Quid ergo? an tu’ inquit, ‘satius putabas nocentem et iniustum mori?’ Hoc ille quidem, eleganter ut reliqua. [13] Ego itaque, ut unde discesseram revertar, a plurimorum opinionibus aversus, sic censeo: lugendam esse malorum mortem, que animam simul et corpus interimit; contraque, bonorum exitum gaudio prosequendum, quod eos Deus ex hac valle misericorditer eruens, ad letiora traduxerit.

[14] Nisi forte fratriis tui mors ideo acerbior visa est, quod eum procul a finibus patriis invasit. Sed non sumus usque adeo rerum ignari; scimus a Poeta verissime dictum esse quod «omne solum fortis patria est», et tamen hoc vero verius est quod ait Apostolus: «Non habemus hic manentem civitatem, sed aliam inquirimus». [15] Videntur hec sibi invicem adversa, sed non sunt; quisque pro diversitate loquentium satis breviter quod sentiebat expressit, et quamvis aliter atque aliter, uterque tamen vere. Si Poetam sequeris, non potuit frater tuus extra patriam suam mori; at si credis Apostolo, omnes extra patriam morimur, ut sic tandem in patriam revertamur. Et sane, utramvis sententiam sequaris, nichil invenies cur de fatalis zone distantia conqueraris. [16] Detur fortasse viventibus, ut quibusdam seu honestis affectibus seu turpibus inducti, locum unum alteri preferendum esse contendant; morientium certe nichil interest ubi potissimum moriantur; et si cui contrarium videtur, adhuc se nutricis et muliercularum erroribus imbutum norit. [17] Interrogatus philosophus ubi sepeliri mallet, nichil sua interesse respondit: “Undique enim” inquit, “ad inferos tantundem vie est”. Nos quibus ascendens Cristus in celum ascendendi spem reliquit, dicamus aliter: ‘Quid refert utrum in Italia an in Galliis an in Hispanie finibus an in Rubri Maris litoribus iaceamus? Undique ad celum tantundem vie est’. Illa nobis via calcanda est, arcta quidem et difficilis; sed ducem habemus, quem sequentes aberrare non possumus. [18] Si ad illam viam spectamus, quid ad nos pertinet ubi hanc corporum sarcinam deponamus? Nisi suspicari libeat difficiliorem futuram esse longe iacentium corporum reassumptionem in die novissimo. [19] Sed hoc religiosissima et vere tali digna filio mulier non timebat, que moriens ordinansque de sepulcro: “Ponite” ait; “hoc corpus ubicunque; nichil vos eius cura conturbet”. Interrogataque nunquid non procul a patria mortem formidaret, vide quid respondit: “Nichil est” inquit, “longe Deo; neque timendum est ne Ille non agnoscat in fine seculi unde me

resuscitet”. Hec mulier illa catholica. Nos qui et catholici sumus et viros pollicemur, nunquid muliebrius sentiemus?

[20] Sed scio quid acerrime lugeant superstites in mortibus amicorum; quod videlicet nunquam eos revisuri sunt quos summo amore dilexerunt. Paganorum sit ista credulitas, eaque non omnium, sed eorum tantum qui animas putant cum corporibus interire. [21] Certe Marcus Tullius, quem paganum fuisse sicut notissimum ita dolendum est, credens animam immortalem et gloriosis spiritibus post hanc vitam celeste habitaculum patere, non hec opinabatur. Nunquam enim Marcum Catonem illum senem induceret, in eo libro qui inscribitur Cato Maior, sperantem et verbis talibus utentem: «O preclarum diem, cum in illud divinorum animorum concilium cetumque proficiscar, cumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros de quibus ante dixi, sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate prestantior». [22] Et rursus eodem loco «Evidem» inquit, «efferor studio patres vestros quos colui et dilexi, videndi; neque eos solum convenire habeo quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus audivi et legi et ipse conscripsi». Hec et his similia, que apud Ciceronem Cato loquitur, satis quid uterque crederet testantur. [23] Illi tamen utcunque crediderint, quorum magna ex parte spes inanes ac fallaces fuerant, nobis ab Illo qui et falli non potest et fallere non novit, spes certa prestatur, illuc tandem, quo fratrem tuum translatum confidimus, esse venturos. [24] ‘Sed quid interim faciam?’ dixerit aliquis, ‘desiderio torqueor, amore langueo, aviditate crucior fratrem meum revidendi’. Quid facias aliud, nisi quod facere solent qui casu aliquo a personis carissimis avelluntur? memoriam retinent et absentium imaginem profunda mente custodiunt; illos amant, de illis loquuntur, illis prosperum optant iter. Idem fac et, certus sum, iam fecisti. [25] Fratrem tuum in ea parte cordis absconde, unde nulla eum pellat oblivio; illum dilige sepultum ut viventem dilexisti, vel etiam

multo vehementius; illum coge sepius ad te reverti commemoratione pia et frequenti; precare iter ut faustum sibi contingat et calcatis perfidi hostis insidiis, velox in patriam reditus. [26] Neque enim hec aut patria nostra est aut fuerat sua, ubi et nos peregrinamur adhuc et eum irritis votis expectavimus ad meliora properantem. Exilium est hoc; ipse in patriam profectus est. Oremus ut sospes et sine labore perveniat; id illi prodesse poterit, id agamus. Pium obsequii genus est pro defunctis orare. Lacrime autem sunt arma mulierum, viros non decent, nisi moderatissime forsan atque rarissime; alioquin et fundentibus eas officiunt et illis non proficiunt quorum amore funduntur. [27] Si quibus etiam nunc desiderii stimulis urgeris, cogita id diuturnum esse non posse — brevis est enim hominum vita —, ut si ad nos non sit ille reversurus, nos tamen ad illum oporteat satis celeriter proficisci. «Omnia autem brevia» ut ait Cicero, «tolerabilia esse debent, etiamsi magna sint».

[28] Frater tuus ereptus est mille laboribus et verisimiliter speratur ad eternam requiem pervenisse aut de proximo per venturus; nos in seculi fluitantis agone remansimus. Quamobrem, si quis propter se ipsum quod relictus est, deflet, videat ne merito possit audire tullianum illud: «Suis incommidis graviter angi, non amicum sed se ipsum amantis est»; si vero propter illum, verendum est ne, ut idem ait, «invidi magis quam amici sit». [29] Hec non tam ad informationem quam ad gloriam tuam retuli; quoniam, sicut inceperam, gratias consolatori eterno, tu externa consolatione non indiges. Quanquam, qui etiam indigenti conferre potuissent he literule raptim de arescentis ingenii scatebris expresse?

[30] Supervacuum est deinceps illorum exempla subtexere qui suorum mortem fortiter tulisse memorantur. Et tamen, ut intelligas quorum ego te numeris ascribo, tantoque fretus comitatu hereas in incepto, quantum memoria complecti potuero — pauci enim libelli me in hanc solitudinem sunt secuti —, aliquot nobiliora exempla ex

omni copia vetustatis intersetam. [31] Emilius Paulus, vir amplissimus et sue etatis ac patrie summum decus, ex quattuor filiis preclarissime indolis, duos extra familiam in adoptionem aliis dando ipse sibi abstulit, duos reliquos intra septem dierum spatum mors rapuit. Ipse tamen orbitatem suam tam excuso animo pertulit, ut prodiret in publicum; ubi, audiente populo Romano, casum suum tam magnifice consolatus est, ut magis metuere nequem dolor ille fregisset, quam ipse fractus esse, videretur; ex quo non minorem, iudice me, gloriam cepit quam ex triumpho quem illis diebus speciosissimum egerat; per illum enim Macedonie, per hoc mortis ac fortune victor apparuit. [32] Pericles, Atheniensis dux, intra quattuor dies duobus filiis orbatus, non solum non ingemuit, sed nec priorem frontis habitum mutavit. [33] Cato senior ille cuius supra mentionem habui, quantum laudetur ab omnibus, nullus ignorat qui modo vel tenuiter norit historias, quodque maius est, sine ulla historiarum notitia sic iam apud cuntos huius nominis fama percrebruit, ut, eo audito, vix quicquam ad sapientie summam adici posse videatur. Ita fit ut non magis veterum iudicio quam modernorum consensu, Cato sapientissimus habeatur. Atqui inter multa preclara hominis illius, nichil singularius admiramus, quam quod mortem filii, optimi viri, modestissime dicitur tulisse. [34] Xenophon, filii morte nuntiata, sacrificium cui tunc intererat, non omisit; coronam tantum quam capite gestabat, depositus; mox interrogans diligentius atque audiens quod strenue pugnans cecidisset, coronam ipsam capiti reposuit, ut ostenderet de cuiusquam morte non dolendum, nisi turpiter et ignave morientis; quo metu verisimile est virum sapientem vereque socraticum ad primum nuntii relatum deposuisse coronam.

[35] Anaxagoras mortem filii nuntianti, ‘Nichil’ inquit, ‘novum aut inexpectatum audio; ego enim, cum sim mortalis, sciebam ex me genitum esse mortalem’. [36] O vere dignum homine responsum! Quam multi sunt, e medio etiam grege philosophorum, qui etsi nature

conditionem amplecti simularent, tamen perversum moriendi ordinem taciti non tulissent! Anaxagore vero nichil inopinatum poterat contingere; cogitabat enim assidue quod est apud Senecam, «omnia et mortalia esse et incerta lege mortalia»; quodque alio quodam loco ait idem, sciebat “sibi omnia restare”, ideoque, quicquid factum esset, dicturus fuerat: ‘sciebam’.

[37] Multa nunc ultiro equidem constantie similis exempla se offerunt, sed epystole modus plura non recipit; finem igitur imponam. Et si cui forsan patientia tua ab his laudatissimis actibus aliena videbitur, propterea quod tu non filium perdideris sed fratrem, equo animo patiar unumquenque sentire quod opinio sua fert. [38] Ego quidem in me ipso alterum casum duntaxat expertus sum: filii amissionem non novi, at fraterne necis vulnus excepit; de hoc certius loqui possum. Nichil itaque contendo, neque luctus invicem confero; sed illud scio, sepe facilius amissum filium restaurari posse quam fratrem. Vale.

Ad fontem Sorgie,

V Kal. Martias.

2

Consolatoria super casu amici mortui et insepulti, et multa de ritibus sepulture.

[1] Amicum bonum periisse tibi doleo, sed magis in te rectum periisse iudicium indignor; neque enim aut te ipse satis viriliter, ne dicam philosophice, consolaris, aut illum qua flendus est defles, si modo quisquam viri fortis exitus non invidiosus potius quam miserabilis videri potest. Nam, ut epystole tue sensum breviter stringam, non tam michi videris aut damnum tuum aut amici parumper festinatam mortem — ubi parcere possem vulgato forsitan errori —, quam genus

mortis atque inhumati corporis iniuriam, iactatum mari egyptio cadaver, deplorare. [2] Hanc non vulgarem magis quam anilem querimoniam ferre non valeo. Nonne enim, queso, de genere sepulture tam scrupulose sollicito, illud occurrit “sepulcri facilem” esse “iacturam”? an maronei versiculi nil aliud clamantis oblitus es, qui adeo pueris etiam notus est, ut iam in proverbium abierit? [3] Quodsi ad mortem respicis, falleris si per hanc felicem aut miserum fieri putas; satis est notus versus alterius poete:

Non fit morte miser.

Vita est que miseros facit et beatos, quam qui usque ad extremi fugam spiritus bene egit, nullo eget amplius, felix est, securus est, in portu est. Quid ergo ad summam felicitatis huius pertinere arbitraris, utrum tellus illum opprimat, an pelagus volvat, an flamma consumat? [4] Sed quoniam te de sepultura singulariter preque omnibus anxium intelligo, quanto tu beatiorem extimas hunc tellure demersum, quam illum alterum fluctibus obrutum? Propter unius, credo, virgiliani carminis horrorem; quia, scilicet,

Unda feret piscesque impasti vulnera lambent.

Quid autem si alterius vulnera rabidi canes absumpserint, si famelicorum grex luporum, effossis tumulis, membra diserpserit? Respondebis, ut arbitror: ‘Et hos itidem infelices’. [5] Ita iam ex omnibus felices erunt, quibus inconcussa contingit requies sepulcri. Nichil hac opinione puerilius; cum enim cunta provideris, negata beluis viscera infestis vermis negare non poteris; iam cernis, qui contactum pulcerrimorum fortassis animalium formidabas, quid a turpissimis necessario sis passurus. [6] Verum ista non adeo metuuntur, quoniam usu iam quotidiana sunt; vides itaque — quod sepe dicere soleo, nec mea solum est, sed illustrium philosophorum sententia — quicquid in hac vita patimur molesti, non tam ex ipsa rerum natura, quam ex nostre mentis imbecillitate sive, ut eorum

etiam verbis utar, ex opinionum perversitate procedere. Nova timemus, usitata contemnimus: cur, queso, nisi quia in altero mens inermis improvisa rerum facie turbatur, in altero frequenti meditatione rationis clipeum fabricata est, quem asperitatibus cuntis opponeret?

[7] Respice nautarum morem, quam equo animo patiuntur corpora suorum in fluctus effundi. Unum de multis exemplum illustre non silebo. Lambas de Auria, vir acerrimus atque fortissimus, dux Ianuensium fuisse narratur eo maritimo prelio, quod primum cum Venetis habuerunt, omnium memorabile que patrum nostrorum temporibus gesta sunt. [8] Qui, hostili classe conspecta, ubi pugnandi horam advenisse cognovit, numero licet inferior, tamen suos pro tempore magnifice ac breviter adhortatus, manum cum hoste conseruit; cumque in eo congressu filius illi unicus, florentissimus adolescens, qui paterne navis proram obtinebat, sagitta traiectus primus omnium corruisset ac circa iacentem luctus horrendus sublatus esset, accurrit pater et, ‘Non gemendi’ inquit, ‘sed pugnandi tempus est’; [9] deinde, versus ad filium, postquam in eo nullam vite spem videt, ‘Tu vero’ inquit, ‘fili, nunquam tam pulcrum habuisses sepulturam, si defunctus esses in patria’. Hec dicens, armatus armatum tepentemque complexus, proiecit in medios fluctus; ipsa, ut michi quidem videtur, calamitate felicissimus, cui talem casum contigit tolerare tam fortiter. [10] Factum nempe eius ac verba, accensis virtute animis, egregiam illo die victoriam peperere; nec minus ideo pius est habitus, quam si incumbens cadaveri ac muliebriter ingemiscens, in eo precipue rerum statu cum summo sue reipublice discrimine torpuisset. Tu genas unguibus foderes, tale aliquid in tuis videns; non tam propter mortis dolorem, quam propter ignominiam sepulture.

[11] Nautici ergo homines, quod amicis carituri sint, dolent ut ceteri; quod mare illos habeat equanimius ferunt; idque evenit, quia talia

perpeti longa consuetudine didicerunt. Quidni igitur indigner cum Cicerone, plus usum posse quam rationem? poterit nauta rудis sine lacrimis cernere, quia consuetus, quod tu philosophus non poteris ratione fretus et tot bonis artibus instructus, tanta exemplorum copia suffultus?

[12] Animadvertere licet ex historiis multiplices hominum ritus in sepulturis et ab usu nostro multipliciter abhorrentes: e quibus, quosdam suorum corpora domi servare summo studio condita; quosdam ea bestiis obicere solitos ad id unum, pro singulorum facultatibus, multo ante comparatis ac nutritis, et generosi canis alvum optimum sepulture genus opinari; quosdam vero per se ipsos devorasse legimus. [13] Arthemisia illa Carie regina, coniugalis amoris exemplum inter cunta celeberrimum, nichil habuit quod viro tam dilecto dulcius prestaret quam ut defunctum vivo conderet sepulcro; redactum enim in cineres summaque parsimonia reservatum, paulatim potui superinfundens bibit et amato corpori tale sui corporis hospitium dedit. [14] Nec illud modo queritur, recte ne id fecerit; illud potius agitur, ut intelligas omnia quibus angimur, in opinionibus non in rebus esse, inque his gignendis alendis ve consuetudinem posse quamplurimum. Illa virum quem amaverat consumpsit; tu, siquam ex nostris mulieribus idem facientem videris, obstupesces et abominatione spectaculi oculos avertes. Fiat idem ubi fieri solitum est: nec inhumanitas, nec insignis amor, sed vulgare obsequium dicetur. [15] Non oportet peregrina conquirere: maioribus nostris in hac ipsa Italia mos fuerat suorum corpora flammis exurere; quem morem et historiarum fides et usque ad nostram etatem invente sub terram urne cum cineribus testantur. Neque tamen ea pervetusta consuetudo est; ante enim, ut nunc, toti humabantur, donec id remedii genus, inexplebili odio bellorum civilium in sepulcra etiam seviente, commenti sunt, seque ope flammarum hostili ludibrio subduxere. [16] Itaque Scipiones, ut qui merito se reipublice caros scirent, omnes

integri iacuere, nec omnino ullus in gente Cornelia ustus est ante Lucium Sillam dictatorem. Is primus omnium, contra familie sue morem, multorum sibi conscius odiorum, corpus cremari suum voluit, nominatim veritus, ut ferunt, ne in se Mariana factio post obitum auderet quod ipse ausus fuisse in Marium. Valuit exemplum, secutique sunt factum quibus facti ratio nulla erat. [17] Sed postquam cremandi mos invaluit usuique sua esse cepit autoritas, tum demum quod remedium fuerat, decus fuit, et ex illo probrum ingens visum supremis ignibus caruisse. Hinc laudata pietas que, pauculis lignis collectis in litore niliaco, truncatum impie magni Pompeii corpus cremare non tam potuit quam voluit. Inde sibi partum nomen: quis enim Codrum hunc nosset, nisi Pompeii membris faculas inferentem? Ille autem Codrus atheniensis alio pietatis genere et propria morte cognoscitur. [18] Nunc defunctos comburere extreme fuerit vel iniurie vel vindicte. Unde hec in una eademque gente varietas? nimirum decursu temporis mutati mores opiniones hominum alternant. [19] Nec rursus id quero, de quo magnos interdum viros disserentes autivi, uter esset sepulture modus honestior: ille ne quem maioribus nostris fuisse memoravi quemque multis adhuc gentibus servari fama est, lege addita que sepeliri hominem in civitatibus vetat, quibusdam paucis admodum exceptis, quos singularis virtus “legibus solutos” fecit, cuius tertio De legibus meminit Cicero, an hic noster, quem a vetustioribus resumptum cristiane religionis usus obtinuit. [20] Non ea michi nunc cura est; id potius quod agebam perago, ideo multa nobis horribilia videri, quia consuetudine longa varios concepimus errores, que apud alios diversa consuetudine non timentur. Si vero tu michi, quod professionis tue proprium est, ceteris spretis, veritatem rerum non vulgi rumoribus, sed insita ratione quesieris, invenies virum sapientem opinionem ab erroribus avertere, et aut miserari delirantium greges aut ridere. Vale.

Ad Severum Apenninicolam, consolatoria super exilio.

[1] Exilium, etsi ab exiliendo tractum rear vel, ut Servio placet, ab eo quod quis extra solum eat, non tamen exilium esse nisi invito accidat, annuerim. Alioquin, sepe a regnis suis reges exulant, eoque maxime tempore quod prorogandis tuendisque regni finibus et propagande glorie impenditur; quando nemo illos exules dicere audeat, nisi a quo ratio omnis exulaverit, quippe cum nunquam verius et sint et dicantur reges. Aliqua ergo vis dolorque aliquis interveniat oportet, ut exilium verum sit. [2] Id si recipis, iam cernis in tua manu situm, utrum exul an peregrinus sis: si lacrimans, si mestus, si deiectus exivisti, exulem te proculdubio neveris; si vero nichil proprie dignitatis oblitus neque coactus, sed libens et eodem habitu frontis atque animi quo domi fueras, iussus exire paruisti, peregrinaris profecto, non exulas. [3] Nam et in ceteris formidatarum rerum generibus invenies neminem esse miserum nisi qui se miserum fecit; sic pauperem non rerum paucitas sed cupiditas facit; sic in morte, que exilio simillima est, non tam rei ipsius asperitas, quam trepidatio et opinionis perversitas nocet, quibus amotis, multos aspicies non modo equanimiter, sed lete etiam ac feliciter morientes. Ex quo nimirum intelligitur non esse necessarium, sed spontaneum mortis malum, nec in re ipsa sed totum in obliqua mortalium existimatione repositum; quod nisi ita esset, nunquam in periculo pari tanta esset imparitas animorum. [4] Eandemque rationem exilii video quam ceterorum omnium; non in illo, sed in nobis esse quo vincimur: opinionem scilicet, que ubi paululum a veritate deflexerit, mox innumerabilibus iactatur erroribus ut ad verum difficilime redeat seque, nisi multum adiuta, non erigat ad intuendam proprie originis maiestatem.

[5] Ut enim ceptum persequar, quid exilium, queso? ipsa ne rei natura aut intermissio dilectorum personarum, an indignatio potius et impatiens desiderium animi languentis exasperat? Quod si tu michi, quicunque a patria absunt, exulare sine ulla distinctione firmaveris, rari ergo non exules. [6] Quis enim hominum, nisi desidiosus ac mollis, non aliquotiens, aut visendi avidus, aut discendi studio, aut illustrandi animi aut curandi corporis aut amplificande rei familiaris proposito, aut necessitate bellorum, aut sue reipublice seu domini seu parentis imperio, domum liquit et patriam? cur autem ita peregrinantes non miseri omnes sunt, nisi quia restiterunt nec impelli se ipsos in miseriam passi sunt? eque etenim caruerunt coniugio, liberis, cognatis, parentibus, amicorum convictu, amate urbis aspectu; horum tamen omnium desiderium leniit modestia et solamen aliquod invenit absentie.

[7] ‘Sed et multum profuit spes reditus; nunquam ivissent tam constanti animo, nisi se redituros in patriam credidissent’. Sit ita. Tibi vero spem quis abstulit, presertim cum hec sit una ex omnibus que ab invito non eripitur? Pellitur in exilium vir bonus, ad tyranni nutum spoliatur rebus omnibus, in carcerem mittitur, detruncatur, laniatur, occiditur, insepultus abicitur; inter tot minas atque impetus fortune, cum cogamur ad cetera, ad desperandum nemo compellitur.

[8] Vidimus in exilium missos, priusquam ad destinatum pervenissent, immenso patrie desiderio revocatos; alios vero post tempus tanto cum honore tantaque civium penitentia reversos, ut michi felices tali exilio viderentur; quosdam ab extrema inopia ad summas repente divitias, quosdam ex carcere ad imperium pervenisse, nonnullos collum subduxisse securibus, morti prereptos et prosperitati eximie reservatos. Nemo unquam tam iniquo loco iacuit, ut non ei liceret oculos attollere; nemo tam deploratum rerum suarum vidi exitum, ut prohiberetur sperare meliora. [9] Ciceronem ab exilio Roma revocavit; diebus paucis egregii civis presentia carere vix potuit.

Revocavit et Metellum, cui cum in spectaculo Trallibus sedenti honorificentissime litere senatus et populi Romani nomine redderentur, nichil in letitiam versus, eodem vultu fuit quo menia urbis exierat; vir nec digressu fractior nec insolentior reditu, illic patrie furori cessit, hic desiderio paruit; illic modestus, hic pius; utrobique memorabilis. [10] Tentavit pari facilitate Rutilium; sed ille durior mansit et patriam reditu censuit indignam suo. Eadem fuerat sors Marcelli, eventus longe alius; qui, dum revocatus a Cesare, summo desiderio bonorum omnium rediens, in hostem incidisset, effectum est ut in locum predulcis expectationis publicus luctus incederet. Cui mortem tamen illam nunquam exilio difficiliorem fuisse crediderim; una est enim virtus, que variis licet asperitatibus perferendis animos armat atque instruit. Fuerat autem hic in exilio talis, ut magnum sui preberet indicium qualis futurus esset in morte. [11] De quo non tacebo quid in libro De virtute ad Ciceronem Brutus refert: vidisse se eum videlicet Mytilenis exulem tam infracto animo tamque avido bonorum studiorum, tam denique feliciter beateque disposto, ut non ille sibi, quamvis longe relegatus, sed ipse potius exul, cum ab illo discederet, videretur; addit etiam Gaium Iulium Cesarem, qui sibi et exulandi auctor fuerat et postmodum redeundi fuit, per ea loca transeuntem, verecundia permotum super exilio tanti viri, urbemque ideo ubi ille tunc erat, de industria pretervectum. [12] O gloriosum exulem, cuius exilium potentissimorum civium alter suspexit, alter erubuit! Sic Cesar mundo terribilis, Brutus et Cesari; utrumque tamen reverentia cepit exulis Marcelli. Quis exilium tale non cupiat, imo vero quis exilium vocet, quod ipsis patrie dominis invidiosum est? [13] Illos commemoro quos penitentia civium reduxit; quam multos autem fortuna restituit! Nunquam Camillum Roma revocasset: sors illi et excidium urbis — quis crederet? — ac fremens per Italiam transalpinarum gentium furor viam fecit ad redditum, ut esset unus vir memorandum cunctis exulibus et bone spei simul et

spectate erga ingratam licet patriam pietatis exemplar. [14] Atque, ut aliquando ad nostrorum temporum acta transgrediar, Matheus Vicecomes, Mediolano patria prepotentis inimici viribus pulsus, quandiu solus ac profugus et in summa inopia rerum omnium fuit, comploratus a suis, illusus ab hostibus! Quem ferunt, die quodam, curarum plenum preter ripam Benaci lacus errantem, habuisse obvium superbi hostis nuntium atque ab eo, domini sui verbis, interrogatum quidnam ibi tam incomitatus ageret, nil aliud respondisse nisi se retia tendere. Quod responsum, tum forte contemptui habitum, brevi quid misterii importaret innotuit; ita otiosus senex unus adversarios suos omnes, ceu totidem pisces, esca spei inanis elusos, providentie sue retibus circumvenit. [15] Alio quoque tempore cum ad eundem nuntius rediisset et percontaretur irridens quibus itineribus aut quando esset in patriam reversurus, tranquilla fronte respondit: ‘Tu vero abi, dominoque tuo nuntia eisdem me redditum itineribus quibus exivi, sed non antequam sua crimina preponderare meis inceperint’. Nec fefellit augurium; siquidem non multo post in immensum auctis hostium sceleribus, quibus insolens dabat alimenta felicitas, Mediolanum, illis electis, victor ingressus est; in qua urbe, ut vides, usque in hodiernum diem et nepotes dominantur et filii.

[16] Nec in hanc narrationem incidisse ideo videri velim, ut vel tibi vel cuiquam viro bono auctor sim adversus quantumlibet male meritam patriam arma capiendi — satius reor pauperem in exilio mori quam libertate turbata, nolentibus imperare —, sed ut veteribus et novis constaret exemplis non posse per vim exulibus spem auferri. [17] Et si animos difficultatibus obsessos ad patientiam erigit fortium virorum recordatio, accipe nunc etiam insigne recensque aliud exemplum. Stephanus de Columna, summum militie decus, cum in omni fortuna gloriosus, tum in exilio gloriosissimus et admirabilis fuit. [18] Neque enim una erat eius et ceterorum exulum conditio. Quibusdam extra

patriam ubilibet tuto vivere permittitur; hi cum patriam reliquerint, laxiorem retinent libertatem; aliis arctior dicta lex est, ut hoc aut illo loco se contineant, illic habitantibus nil durius expectandum. Huic vero et patria interdictum et nullus in orbe terrarum tutus locus, nullus in tanta tempestate portus aut refugium. [19] Hostem habuit ut potentem sic inexorabilem, Bonifacium VIII Romanum Pontificem; quem armis frangere difficillimum, humilitate seu blanditiis flectere nec possibile quidem esset, denique quem nichil nisi sola mors vinceret. [20] Sevitum est inhumane, petitumque modis omnibus immerentis caput exulis, promissionibus minis potentia dolis autoritate pecuniis; ingentia persecutoribus premia, fautoribus denuntiata supplitia, cum Stephanus nunc citra nunc trans equora, nunc disiunctissimas utriusque maris insulas, Siciliam Britanniamque, nunc extrema Galliarum solivagus circuiret, egenus interea cuntarum rerum, sed predives animi. [21] Itaque cum apud Arelate casu quodam in manus explorantium venisset, interrogatus quis esset, nomen suum, quod dissimulare poterat, multis audientibus dixit, seque civem romanum intrepido ore professus est. Quanta autem, Deus bone, unius capitatis maiestas, que odiosas etiam et armatas manus a furore deterruit! [22] Edicto proposito solicitabantur reges, nequis eum foveret hospitio; cuius obtentu cum Sicilia discedere iuberetur, eo animo paruit ut exul in ea provincia remansisse, rex abiisse crederetur. Sic illum, sic alios, toto persecutionis sue tempore, reges vidit, tanquam ipse rex esset; altissimo animo nec ullis adversitatibus contracto et supra fortune fluctus eminente, prorsus ut uni sibi dictum videri posset poeticum illud:

Aspice securus, vultu non supplice, reges.

[23] Quotiens Rome et per Italiam nuntiata mors eius erat, quotiens actum esse de rebus Columnensium fama fuit et cum illo viro egregiam corruisse familiam! Nulla usquam de illo spes, preterquam in solo ipsius pectore, restabat; nunquam tamen inde discessit,

quominus diebus ac noctibus versaret animosa consilia et omnem laborem obiret imperterritus. Ultro enim, in medio rerum suarum discrimine, amicorum bellis interdum — utrique partium ignotus — interfuit, et omnium confessione, unius hominis presentiam est secuta victoria. [24] Haud ambigua, sed tibi ipsi quam michi notiora recenseo. Quis ergo miserum dicat hunc exulem, cum quo tantus virtutum comitatus exulabat, quem post decennem sui experientiam in priorem statum vera animi magnitudo, non fortuna, reposuit?

[25] Sed quorsum hec tam multorum exemplorum conquisitio? Ut nemo, presenti malo attonitus, venturum opinione preoccupet, et mediocriter gravi — exilio — gravissimum malorum omnium — desperationem — accumulet; presertim cum non solum virtus operosa, ea que Stephanum ipsum in patriam revexit, sed mutatis sepe populorum moribus, vel discessio simultatum vel, que feros animos mitigat, longa dies vel incidens commiseratio non digna patientium vel ipsa tacite virtutis admiratio vel impensum civibus suis obsequium vel publice necessitatis occasio vel aliqua vis fortune finem imponere possit exilio. [26] Ne quis preterea, quod ipse depulsus sit, virtutum suarum proiciat ornamenta, grave cogitans preciosissima rerum in exilium ferre, cum viliora non liceat. Neque enim novum est ut efferentes gemmas atque aurum, urbana predia et omnem inutilem aut honerosam sarcinam in incendio relinquamus. Quodsi aurum inter preciosa numerandum esse persuasum est hominibus, quid tandem de virtutibus iudicandum est?

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

[27] Atqui cum non semper in exilium ferre argentum et aurum sinamur, quocunque ierimus, virtutes et bona animi ferre permittimur. Quod fecisse videmus eos quorum tibi nunc exempla proposui, ut ad imitandum exardesceres, nec diffideres fieri posse iterum quod totiens factum est. Licet, inquam, in exilium et in carcerem et in mortem ipsam ferre virtutes; ‘licet’, dixi; imo vero

expedit, necessarium est, oportet. Alioquin, vere exules sunt qui relictis his abeunt; vere inopes, vere infelices et miseri. [28] Nec satis est quantum habueris efferre; plusculum exigitur. Vide quam accurate viaticum parat peregre profecturus; copiosior cupit esse, quo longius pergit. Opimum tibi in hac peregrinatione viaticum ex virtutibus constabit; quibus affluentibus, etiam is alimenta corporis desint, pauper esse non poteris. Has igitur congrega, his te undique fulcias. [29] Preclaram tibi fuisse olim scio multarum virtutum supellectilem; non importuna nec difficilis, sed agilis et amena res est. Laboriose, fateor, tanta res queritur; ceterum, postquam quesita fuerit, sine labore circumfertur. Quesivisti eam ab adolescentia, servasti eam domi; noli eam nunc, senior et peregrinus, amittere; sed quantum habuisti, vel eo ampliorem quo maior se ostendit necessitas, perfer; quanquam id tibi nolenti sciam eventurum sponte sua. Viaticum quidem hoc nunquam usu consumitur, sed augetur potius; est enim ex virtutibus, que usu pullulant et in mediis difficultatibus crescunt, donec possessorem suum ad supremum felicitatis culmen evexerint. [30] Taceo nunc exilii tui non spernenda solatia. Si sub Arthon eternum illud Scithie gelu aut sub ardentи sole inhospitale mundi latus incolere iubereris; denique, proprius licet, sed extra Italiam proiectus, haberet fortasse aliquid quod fortune tue posses obicere. Nunc vide quam digna querela tua sit: iussus es Florentiam ire et illic manere donec te populus revocet. Nonne animadvertis quantas grates agere debeas magistratibus tuis, qui te otio longo consopitum excitarunt, et ex diuturna consuetudine maternis uberibus herentem abduxerunt, teque ex patria — ut pace tua dixerim — multum impari in civitatem florentissimam transire voluerunt? [31] Hoc, inquam, pretereo; quoniam sic sumus naturaliter affecti, ut incultum licet ac desertum scopulum ubi natos nos educatosque meminimus, omnibus anteponendum terris arbitremur. Quod si aliquando error iste cessaret, ignosceres profecto fortune, imo vero veniam peteres quod

beneficium suum non ante cognoveris. [32] Adde quod duos preclare indolis filios tecum eduxisti, alterum iuvenem, infantem vero alterum, peroportunis etatum gradibus distantes, ut scilicet cum illo curarum sarcinam partiri posses, cum hoc etiam oblivisci; hinc presidum vides, illinc solamen profectionis tue. Hi tibi dulcem patriam faciebant, hos habes. [33] Quid requiris aliud? Expectas ut uxor pudicissima, ut parentes optimi, ut blandissime filie reviviscant? Non illos tibi exilium abstulit, sed mors; quam cum totiens insultantem et rerum tuarum dulcissima queque rapientem viceris, non debes exilio vinci, quod te omnia vite prioris adminicula et precipue natos, tantorum pignorum reliquias, auferre non prohibet. [34] Verum ego, ut dixi, et hoc solatium et omne quod fortune ictibus subiectum est, sileo; scio, que patriam abstulit, in filios ius habere. Redeo ad virtutum stabiliora presidia, quas tibi nec civium tuorum decreta nec imperia tyrannorum nec predonum violentia nec nocturni fures eripent. Hec si tecum detulisti, mentietur quisquis te exulem dixerit; si autem reliquisti, omnis dies novum aliquid quod lugeas feret, omnis locus non molestus tantum sed hostilis, nec exilium modo tibi sed carcer erit. Vale.

4

Ad eundem Severum et de eadem re.

[1] Excidisse tibi omnem spem video; quod quam recte patiaris, epystola superiore testatus sum. Doleoque nil illam tibi remedii contulisse; nec satis scio utrum in medico an in egrotante sit vitium, qui si ad salutem pervenire cupit, credulum se consiliis et obsequentissimum medicorum legibus prestare debet. Ego quidem in illa id agebam ut dimissa patria, spem servares, cuius tanta vis est ut

presentes molestias non sentiat, dum sibi letiora promittens, venturum tempus cogitatione complectitur. [2] Quid autem te sperare prohibebat? patrie ne relegantis asperitas? quenam vero? seu quid prorsus est tibi, preter hoc unum exilii nomen, ablatum illatum ve quo doleas? an ad hec tibi clarorum virorum exempla defuerant? sed multa ante oculos posui, et plura ponerem, nisi illa periissent, ex quibus agnosceres spem bonam eventus habere felicissimos. [3] An vero timuisti patriam tuam sine fine sevituram, quod tantillum ex solita dulcedine remisisset? sed an ignorabas nulli natorum patres esse mitiores quam ei quem semel male tractaverint, nullius amorem magis inardescere quam eius qui erga bene meritam amicam se gessit asperius? An te magis exterruit edictum patrie quo penis adhibitis, cavetur ne de revocandis exulibus mentio ulla fiat ad populum? scire autem debes populorum voluntates, sicut ingressu frementes et varie sunt, sic progressu faciles et instabiles fore. [4] Sed est quedam in animis mortaliis, quam et tenuiter video et verbis consequi nequeo, miserabilis et funesta perversitas, aures obstruentium adversus salutares consolatorum voces atque omnibus modis id agentium ut miseriiores fiant neve aliquid quod dolorem lenire possit, obrepant; quo nichil excogitari potest, ne dicam esse, dementius. Nunc vero quoniam sic te affectum invenio ut desperationem reditus tui pro quadam, ut ita dixerim, voluptate suscipias, ab illa parte manum retraham, in qua vulnus intractabile medicamenta nil relevant. [5] Quid autem prohibet, illorum more qui uno aut altero membro perdit, ne per reliquum corpus infecte partis contagia dilabantur, proxima circumliniunt, vulneris quoque tui oras ambire et ne in totum animum dolor serpat, conquisitis propere fomentis occurrere? Noli, queso, trepidare; non illuc digitos inferam, ubi forsitan expectas. Nichil contra opinionem tuam hodie dicturus sum; illud potius, ne, cum unius rei desperatione ceterarum omnium subeunte fastidio, totius vite tue tranquillitas pereat, enitar quando ita vis, ut

redintegrande tibi spei nulla michi spes supersit. [6] Finge itaque in exilio vivendum tibi, in exilio moriendum; habes, credo, quod petis, ut me favente redditum in patriam desperare tibi liceat. Verum, ut cumulatius mos geratur egritudini tue, indulgebo tibi amplius: non ut in hoc tantum exilio, sed

toto divisus ut orbe

A terra moriare tua, tibi barbara tellus

Incumbat.

Plus ego quam tu ipse, dolori tuo permisi; tu letius nichil, ego etiam tristiora proposui. Nec tamen video quid in hac re tam miserum sit, ut virum fortem cogere possit ad lacrimas. [7] Certe, si aut insani amoris aut ambitionis facibus ardere te crederem, que procul a patria conflagrature viderentur intensius, vel si exilii comes inopia sequeretur abeuntem, multa michi simul contrahenda fuerant, quibus seu blandum illud seu ventosum malum mitigari posset seu prestari solatium paupertati. Que, quanquam et michi dictu facilia videri et tibi auditu credibilia debuissent, non tamen facile variorum remedia morborum his explicabantur angustiis. [8] Quam tristis enim res, quam luctuosa sit iste quem amorem dicimus; quam miserabiles exitus inveniat, quam fucata et mendaci fulgore celata sit, quam nichil eorum que pollicetur, prestare possit ambitio; quam magno animo tolerabilis sit paupertas, non potest a quoquam hominum breviter dici. In presenti vero, quando nec amoris flammam morum tuorum gravitas novit, et siquid olim tale sensisses, iam etas extinxit, ambitionis preterea suspicionem honorum per omnem vitam fuga non recipit, et paupertatem remisit patrie pietas, magnus michi labor uberioris consolationis eximitur. [9] Patria tua nullo te alio affecit incommodo, quam ut eius careres amplexibus. Omnia tua aut tecum sunt aut tibi serviunt; non illa solum dico que nec eripi poterant: magnanimitatem modestiam aliasque virtutes, que sive Bias ille

sapiens, ut Cicero, ut Valerius utque omnes, sive, ut Seneca ait, Stilbon, incensa patria, profugus sua secum se ferre gloriatur; sed vulgariter intelligo tua etiam que de fortune manibus accepisti. Veteris enim patrimonii dominus perinde locuples exul excedis ac domi fueras civis; ac nescio an eo forte locupletior quod manentibus divitiis, sumptus est parcior.

[10] Accedit quod maior pars hominum non prius se cadere posse quam tota ceciderit suspicatur; tu vero non cecidisti, sed impulsus es. Integer igitur ac rectus, sentis iam, ut arbitror, nutare fortunam; et quam fragilibus fundamentis inheseris, cum tibi magnus videbaris, intelligis; nec deinceps dubitas, eam que impulit, posse prosternere.

[11] Ita, quod rarissimis contingit, exul dives et cautior vadis, ut facile duobus grandibus bonis malum unum et illud exiguum consoleris, siquid tamen in vita bonum nisi virtus, aut malum aliquid nisi virtutis oppositum, dici debet. [12] Vade itaque securus; non te repetet patria, non revehet casus; at vero, quod tantopere defles exilium et pertinax illustrabit iniuria. Multos magnos viros calamitas fecit, multos declaravit; neminem ex diverso miserum fecit adversitas, sed detexit nec latitare diutius passa est. Quid palles, quasi magnum in te ius habeat fortuna? non illa partes iudicis obtinet, sed testis. Qualis sis in tua potestate est; non est in illius quale de te testimonium ferat, sed ut ferat tantum; mentiri non potest, loqui potest. [13] Quis autem, nisi culpe sibi conscientia, testem metuit vera locuturum? Non est que te ad ignaviam cogat; est que gressus tuos dinumeret, patientiam exerceat, suspiciat aut despiciat pectoris tui robur, deinde populo referat quicquid invenerit. Erige animum, discute tenebras errorum popularium, non pateant aures tue muliercularum vocibus. Nunquam letus eris, nunquam securus, si te populo regendum tradideris; quicquid magna pars hominum aut miratur aut metuit, ridiculum est; quicquid predicit, falsum. [14] Committe potius te paucorum consiliis. Non sunt, ut videntur, ista terribilia, inter que vulgus exilium numerat;

et si lectio longa non profuit, experientia proderit fortasse. Noli semper terram intueri, interdum oculos attolle; confessim veritas occurret et exilium nichil esse fateberis, nec peius vivere virum bonum, quantumlibet procul a patria; imo vero non posse extra patriam vivere cui totus hic orbis est patria. [15] Quid enim refert quam diversa terrarum parte consistat? valles quidem et lacus et flumina et colles alios videt; celum unum est; illi se infert, illuc animum erigit, eo cogitationes suas ex omni mundi parte transmittit, nec aliud quam sub tecti unius amplexu ex alio in alium thalamum transvisse se cogitat. [16] Tu quoque, nisi meam et multorum spem diutissime fefellisti, absit ut ad unum huius immensi edificii angulum sis astrictus; quominus, ubicunque terram sub pedibus calcaveris, ubi celum supra verticem videris, ubi te spirabilis aura perflaverit, patriam tuam voces. Erit igitur exilii tui non solum facilis sed iocunda conditio. [17] Cum enim duo sint que hominum affectum ad benivolentiam excitant, virtus scilicet, qua, ut ait Cicero, nichil est amabilius, et immerentibus viris inflictam calamitas — quorum primum facit ut amemus miremurque claros viros, secundum ut misereamur afflictis — alterum in hac tempestate tibi aderit, alterum adesse videbitur. Virum fortem sentient omnes, exulem dicent; et sane siquid Tullio credimus, inter omnes virtutes fortitudinis splendidissimus vultus est; rursus inter hominis erumnas non in ultimis numeratur exilium. [18] Aut ego fallor aut optandum est ne forte recens hec civium tuorum ira lentescat, neve tibi hoc exulis nomen casus aliquis eripiat, in quo miserie nichil, favoris autem et glorie vides esse quamplurimum. [19] ‘Sed laborem’ inquis, ‘atque ignominiam reformidat animus’. Primum, nego tale hic aliquid inesse, ubi oblatam tibi magne laudis materiam ac generosam fuisse linquende patrie causam, alto animo obiectam tyrannis contumaciam, scio; ubi preterea otium et quas semper optaveras laborum ferias invenisti. Deinde qui ignominiam timet, quam peperit virtus, fame non virtutis amicus est. Qui vero

labores refugit, optare desinat gloriam, ad quam certe difficilis sed clara, ni fallor, et delectabilis via fert. Tibi quidem uni, ut dixi, singulari quadam prerogativa ingens gloria nullis molestiis, nisi forte quas tu ipse tibi finxeris, queritur. [20] Illud enim vereor ne alienis potius quam tuis oculis susceptum vulnus aspicias, et casum tuum alieno metiaris arbitrio; que adeo quotidiana pestis est, ut ad clamorem alienum plerique titubent et multo prius concidant quam impulsi sint; quanquam satis impulsus videri possit, quem tot hominum milia pessimis opinionibus perurgere non desinunt. [21] Sed ut valde imbecillis virium est quem levis aura prostraverit, sic prorsus insanum unimi scito, quem videris res suas aliorum et presertim ignorantium ponderare sermunculis, qui quo frequentiores sunt, eo cautius contagiosus morbus evitandus est, passim tam multorum hominum corda corripiens. [22] Si alios audire volueris, non deerunt qui fortunam tuam multiplicibus honerent querelis, qui te in columem atque optime valentem lugeant, qui semineces velut feretro viventis assideant; audies voces miserabiles, videbis forsan et lacrimas aut simulatas aut amentie proximas; miser esse incipies, quia miseris aurem prebere consueveris. Nichil enim fere est quod convictus assiduus in hominum ingenii non possit. [23] Quod si te ipsum consulere tecumque quam cum aliis loqui malueris, nunquam desinam de te grandia sperare, teque felicissimum, iudice te, dicere et invidiosum magis extimare quam miserum.

[24] Et si ad credendum aliis pronus es, cur et michi non credis veriora simul et gratiora referenti? Non tu, michi crede, corruisti, nec corrues quidem, nisi velis; nullam ignominiam passus es, sed adeunde glorie perennis in limine optionem habes, utrum gloriosus incedas an retrocedas inglorius. Non labor est iste, sed requies; non exilium sed libertas; quam olim mira celeritate fugientem querebaris, occurrentem ultro complectere.

Et que tanta fuit Romam tibi causa videndi?

Libertas, que sera, tamen respexit inertem.

[25] Ille in sermone pastorio, ut libertatem inveniret, patriam se reliquisse gloriatur; tu, philosophus, defles. Vixisti aliis diu, incipe iantandem tibi vivere. Nemo properasse te arguet, qui nec prius inceperis quam pastor ipse maroneus, sed

Candidior postquam tondenti barba cadebat.

[26] Omne tempus ab ineunte etate civibus tuis condonasti; erubuerunt inextimabilis rei perpetuam largitatem et ut longe vite reliquias saltem tibi habeas, decreverunt. Agnosce civitatis animum et hinc propriam erga illam munificentiam contemplare, que tanta fuit ut, egentissimas licet sui, manus perseverando lassaverit. Utene letus immunitate tibi nunc concessa; sic patrie tue menia, tanquam inquietum libertatis proprie carcerem, recordare: evasisti et quod magnum est, contigit iubentibus abire custodibus.

[27] Insanis, siquid forte committis ut redeas; ad illa potius te converte quibus adolescentiam dedicaveras, que robustiores annos tuos fecissent utique tranquillos, nisi, quam adhuc desideras, patria vetuisset; facient autem profecto placidissimam et venerabilem senectutem, nec exilii modo sed fortuitarum rerum omnium contemptricem. [28] De studiis liberalibus loquor et presertim de illa parte philosophie que vite magistra est. Hec tu nunquam animo prorsus intermiseras, etsi parumper ab eis te civilium negotiorum impetus arceret. Nunc vero his, quoniam nichil obstat, totus incumbe, teque melioribus auspiciis nove vite offer et talibus animum exerce muneribus. [29] Relege veterum historias: quantas emulationes romanorum ducum et quidem illustrium hinc reperis exortas, quod aut se quisque quamprimum extra patriam mitti vellet aut serius revocari. Cur, queso, nisi quia dulce erat natalis soli caruisse dulcedine, dum latiorem alibi virtutis exercende materiam invenirent? Celebratis comitiis, solebant consules provincias sortiri, et illam generosior

animus optabat in qua periculi plurimum videbat; non quod per se quisquam hominum, nisi amens, pericula seu difficultates eligat, sed quod virtutis splendor in illis facillime videatur apparere. [30] Quapropter sive exilium hoc tuum leve est, et importuna querela est inter blanda vociferantium; sive durum et molestum — quod populus asserit, ego autem aduersor — nec tamen ideo, siquid usquam vetuste indolis remansit, erit viro digna querimonia oblatum sibi sponte deplorantis quod ab aliis ambitur.

[31] Locus hic, quem tibi magistratus ordinarunt, provincia tua est. Non possunt omnes cum ingenti exercitu in Africam transire, detractoque ex Italia Hanibale, infestam oppugnare Carthaginem; non possunt, alias ex aliis propagando victorias, nunc rebellantes Hispanias, nunc obsessa predonibus maria, nunc Armeniam ac Iudeam et totius Orientis regna penetrare; non omnibus datum est aut fractis Numidie viribus et continuatis imperiis a meridie in boream arma transferre, brevissimoque tempore tinctum lybico sanguine gladium theutonicis ac cimbricis mersare cruoribus, aut Galliis late perdomitis et regibus ad violentam confessionem romane virtutis adductis, hinc Rheni illinc oceani claustra perrumpere, et Germaniam atque Britanniam uno impetu calcare; nec omnibus contingit ante currum reges captivos agere. Hec enim Scipionibus, Pompeiis, Mariis, Cesaribus Emiliisque reservata sunt. [32] His et similibus viris absentibus certamen fuit cum hoste longinquο; tibi cum exilio pugna est, cuius impetum non feres modo, sed repelles et conteres, si cupias quocunque necesse est, si animo tuo persuaseris unicum adversus aspera clipeum esse patientie, et illam saluberrimam Cleantis vocem, in latinum ab Anneo Seneca translatam, in tuum pectus alte demiseris: «Ducunt volentem fata, nolentem trahunt». Vale.

Ad Iohannem de Columna religiosum virum, multa pati animos ex sotietate corporis.

[1] Ex itinere medio redeuntem epystolam tuam avidissime suscepi; optabam enim, solito etiam ardentius, statum tuum prosperum audire; quod, amoris comites, zelus et timor per absentiam crescunt. Angebar autem et turbatum erat cor meum, quoniam et turbatum te discessisse neveram, et hos, qui turbationi tue materiam prebuerant, nefarii voti compotes, videbam sub oculis meis velut triumphaliter observari, quod et te in exilium pepulissent et me presentia oris tui convictuque sobrio ac delectabili spoliassent. Terruerant quoque me visa mea et somniorum imagines, que, turbulente miris modis et infeste, semel et iterum animam dormientis impleverant. [2] Non quod ignorarem somniis temere non habendam fidem; sed sic est: hoc iter ingressus sum; iter, dico, vite huius labentis ad mortem, in quo et estuare oportet et algere, et famen et sitim et somnum et somni minas atque ambages et quietem turbidam sentire, denique multa pati; donec illa dies, expectata piis, formidata nocentibus, mortalem hunc nos exuat amictum, et animos, nitentes ad supera, de compedibus tandem huius caliginose stationis erpiat. [3] Interea, fateor, nec longa est via, passionum insultibus, quicquid de his aut sedandis aut tollendis philosophi disputent, quicquid in se alii sentiant, adhuc valde sum obnoxius. Hec michi nascenti lex cum corpore data est, ut ex eius consortio multa patiar, aliter non passurus.

[4] Secretorum nature conscious poeta, ubi animabus humanis inesse quendam “igneum vigorem et celestem” dixit “originem”, excipiendo subiunxit:

quantum non noxia corpora tardant

Terrenique hebetant artus moribundaque membra;

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque neque auras

Respiquant clause tenebris et carcere ceco.

[5] Sic eram igitur admirans, quod de te, post digressum tuum, aures meas nullus rumor impulerat; dum ecce litera tua michi oblata est. Agnovi signum et iam securior legi. Ceterum, quia nuntius mirum in modum festinabat et res pluribus verbis egere videbatur, responsionem distuli in diem alterum. [6] Quam iam hinc tripartitam fore provideo, quod tua quoque de rebus variis triplex est querela. Unum, quod breviter dici poterat, non fuit consilium differre: me scilicet, peccatorum meorum nodis implicitum, nondum in portum potuisse confugere, sed in eadem tempestate, qua me discedens reliquisti iactatum, fluctibus herere; nequicquam sepe retentantem vela facere, si quis meus ventus ab occidente consurgeret; hoc tamen solo letum et deo gratias agentem, quod te saltem permultos labores evasisse video, quod navicula tua, ex eisdem periculis veniens,

Aut portum tenet aut pleno subit ostia velo.

[7] Deinceps expeditior casibus meis occurram, quod et consequendi desiderium incessit et gemine solicitudinis dimidia parte liberatus sum. Vale.

6

Ad eundem, absentiam amicitiis non obesse.

[1] Sperabam ex te magnificum aliquid audire; sapientia enim tua iampridem michi videbatur finem impositura querimoniis, quibus stolidum vulgus et ingratum personat. Longe vero fallebar, ut video; atque utinam submissum liceret ab alio suspicari, et non propriis tuis

digitis querulum illud cyrographum constaret, in quo rem unam exiguum multis verbis pene muliebriter deplorasti; [2] cuius lamentationis summa est, te acerrime atque inconsolabiliter doluisse, quod huius exoptatissimi atque optimi ducis nostri meamque et amicorum faciem videre desieris. Motum te digressu subito turbatumque non dubito; mansuetudinem namque animi et suavitatem morum tuorum novi, quibus omnino cum ulla severitate aut habitu mentis asperiore non convenit. [3] Unde tamen hic tam immodicus dolor, non intelligo. Innumerabiles cause segregant amicos, amicitiam veram nulle; qua presente, amicus absens esse non poterit. Quantum enim locorum intervallis ab amicorum conversatione disiungimur, tantum absentie detrimentum assidua commemoratione discutimus; cuius si tanta vis est, ut morte superata defunctos etiam amicos pro viventibus celebremus — quod post obitum iunioris Africani, sapientissimo et omnium Romanorum in amicitia gloriosissimo viro Lelio docente, didicimus —, quid tam magnum est, si, absentia similiter victa longe positos amicorum vultus pro presentibus habeamus? [4] Apud poetam scriptum est

*herent infixi pectore vultus
Verbaque;
et iterum
absentem absens auditque videtque.*

Ergo insanus et obscenus amor hoc poterit, pius ac sobrius non poterit? Imo vero, multo amplius; eodem poeta dicente:

*Ante leves ergo pascentur in ethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces;
Ante, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.*

[5] Lelius ipse de amicissimo viro loquens, vide quibus verbis utitur: «Virtutem» inquit, «illius viri amavi, que extincta non est». Tu quare non dicis: ‘Virtutem illius aut illorum amo, que absens aut longinqua non est, sed ante oculos meos omni tempore versatur et in honore semper erit apud me’? [6] ‘At iocondissimum est amicos presentes habere, intueri frontem atque oculos, vivis eos vocibus alloqui et colloquentium admotis auribus verba percipere; neque enim — quando in hac re poeticis testimoniis uti vacat — sine quadam animi dulcedine legimus Anchisen, filii occursu alacrem, tensis ad celum palmis et profusis lacrimis, dicere:

datur ora tueri,

Nate, tua, et notas audire ac reddere voces.’

[7] Nec ego quidem adversor dulcissimam esse presentiam amicorum; quis enim hoc negaverit, nisi inhumanus idem ac ferus? Sed nec tu michi negabis absentiam quoque suas habere voluptates, nisi totam fortassis amicitie pulcritudinem, que latissime patet, ad oculos solos restringimus et a sede eius, que est in animo, sevocamus; quodsi fieri ceperit, angustissima quidem area restabit, ubi se amicorum caritas oblectet. [8] Ut enim mortem, ut carcerem, ut egritudines, ut peregrinationes seu necessarias seu voluntarias sileam, quis quotidianas nature necessitates, somnum famem sitim estus algores lassitudinem, quis studiorum aliarumque rerum occupationes innumerias explicet, quibus etiam in eadem domo, ne dicam urbe, degentium nec vultus aspicere nec semper voces audire permittimur? [9] Ita evi brevissimi reperiatur amicitia, quam longissime vite non equevam modo, sed, ut dixi, superstitem esse decuerat. Quis autem locus in amicitia relinquetur Appio Ceco? ceteros enim in eadem conditione positos taceo; ille michi primus occurrit, quem omnino credibile non est, quod oculos non habuerit, nec amicos habuisse qui universe reipublice talis fuerit amicus.

[10] Quid est ergo quod tantopere lugeas absentiam, quasi hec tibi possit amicitiam subripere, cum nichil illa neque in hac neque in ceteris rebus tuis, nisi quantum tu sibi permiseris, possit? Memento potius, queso, non quam longe sis corpore — quamvis, quid longinquum videri potest in hac puncti unius brevitate, cuius nos homines vix integrum particulam incolimus? — sed esse in tua potestate, ut animo et cogitationibus presens sis. Hoc igitur uno quo potes modo, nos iugiter aspice; literarum identidem frequenti commercio te ipsum nobis ostende, et Vale.

7

Ad eundem, expectationes anxias amputandas ut tranquille vivatur.

[1] Molestissimam moram traxisse te Nicie velut indignando describis, per mensem integrum expectantem navem aliquam, que te in Italiam perferret. Atqui in Italia tunc eras, dum ad Italiam suspirabas; ita dico, si, quod poetis atque cosmographis placet, Italie terminus Varus est, intra quem a parte Italie civitas illa sedet. Sed utique de re constat: interiorem Italiam in animo habebas, et pro Italia Romam dicere voluisti. [2] Sentio iam morbi huius originem: expectationibus enim talibus plena esse solet adolescentia, quarum illi etati qualisqualis venia debetur; senectuti autem, que omnes spes suas iam post tergum spectare debet, omnis longa vite huius et anxia expectatio feda est. [3] Tu itaque, senior, de te videris; ego, iunior, de me loquar, qui, adolescentia iam exacta, etatem tuam adhuc longe — siquid hic longum est — ante me video. Ceterum, quo rarius passionis huiusmodi molestias experior, eo frequentius veteris mali reliquias incuso, eoque certius intelligo virum provectum nec presentibus frangi nec futuris angi, sed utrumque tempus equa fronte despicere et

quicquid secum vel attulit vel promisit, parvipendere. [4] Presentia taceo, quoniam sermonem de futuris institui, que mentes hominum vanis expectationibus suspendunt, et in quibus, nisi fallor, ridiculousius erratur. Expectans alius peregrine navis adventum, totis diebus undas prospicit,

fluitantia longe,

ut est apud Lucanum, *Semper prima videns venientis vela carine;* alius, iamiam moturus a litore, serenam celi tranquillitatem votis omnibus exposcit; iste, nulli honesto negotio intentus, id agit semper quod agebat olim classis yliace magister: surgit enim impiger et, ut ait Virgilius,

omnes

Explorat ventos atque auribus aera captat,

Sidera cunta notans tacito labentia celo;

alter, beati senis herens tabulis, segnem mortem increpitat; alter nuptias aut partum coniugis, amice noctem alter expectans, dies horas momenta dinumerat. [5] Quid multa? Meministi, credo, in Philologia nostra, quam ob id solum ut curas tibi iocis excuterem scripsi, quid Tranquillinus noster ait:

Maior pars hominum expectando moritur.

[6] Ita est; paucissimos invenies qui non toti ex incerto pendeant. Alexander Macedo, Iulius Cesar multique alii vel nostri vel externi duces, quam multa parantes ab hac luce subtracti sunt! et mediis eorum conatibus mors occurrit tanto, ut michi quidem videtur, difficilior quanto insperator. [7] Hinc est quod idem ille Iulius Cesar fragili carina in ancipiti tempestate deprehensus, cum mortem timere cepisset, hoc unum videtur lamentari, quod

ingentes abruperit actus

Festinata dies fatis.

Noverat poeta quid maxime tali viro aut molestum fuisset in eo statu aut esse debuisse, idque potissimum querelis inseruit. [8] Una est autem adversus hunc morbum medicina, primo gustu fortassis amarior, haustu autem et dulcis et placida: animum a terrenis abducere, si fieri potest; si minus, avellere atque extirpare radicitus. Quamvis enim hoc plerunque cum dolore et offensione sensuum fiat, raro tamen, ut vides, amissa corporis sanitas absque molestia restauratur; quanto minus anime salus, in quam et vehementiores morbi et frequentiores incidunt! Hoc igitur fac, et presenti letus, nulla futuri temporis expectatione torqueberis. [9] ‘In Italiam’ inquis, ‘transire volo; navim expecto vel quietum mare’. Sic dices, si cor tuum rebus mundanis adhuc visco consuete delectationis inheret; at si sursum nititur, dices: ‘In Italiam transire volo et hic esse volo. Quid enim magis expedit, novit Deus, homines ignorant. Navim aliquam, sed non minus aliquem expecto qui navim non venturam nuntiet; et utrumque rumorem equis auribus excipiam’. [10] ‘Sed habeo’ inquies, ‘in Italia magnum aliquid agere’. Iam, siquid tibi philosophie studium contulit, vides, ut arbitror, quod extra Italiam geri nequit, magnum esse non posse; quotiens me ad unum locum coarctaveris, desinit esse magnus conatus qui inter angustias cogitur. [11] ‘Sed volo in Italia saltem mori et patria tellure contegi cupio’. Qui hec dicit, adhuc italicus est, vir magnanimus nondum est. Quid enim puerilius quam curam gerere, ubi capillorum et unguium purgamenta, ubi sanguinis supervacui vasculum deponas; ubi ipse iaceas non curare? Certe, si corpus consideras, tua nichil interest ubi sit res a te olim possessa, nunc autem derelicta si pateris, si reluctaris ablata; si vero animum respicias, nullus eum locus aut stringit angustus aut laxat augustus; et, sive ad celos ascendendum sive ad inferos descendendum sit, undecunque discedat, unus est labor. [12] ‘Sed dulce est suorum manibus sepeliri’. Quedam dulcia facit non insitus sapor, sed

corruptus manducantium gustus. Quid dulce dicitis aut nichil sentienti aut omne huiusmodi obsequium contemnenti?

[13] Una omnium est, ut ad propositum redeam, expectantium conditio: dum ventura prospiciunt, que sunt ante oculos non vident; damnum certum sub ambigua spe; hec quidem utique transeunt, illa autem raro plena fide succedunt. Adde quod vel supervacua fere sunt vel damnosa et in caput nostrum recasura, que cupimus; ut sicut sepe spes reiectas indignatio, sic ad libitum provectas vel fastidium vel improvisa pernicies sequatur. [14] Abduc igitur omnem spem, omne desiderium averte ab his fallacibus bonis; incipe unum solum et verum et summum bonum optare; si tamen usque ad hanc etatem rem apprime necessariam distulisti. Tunc discurrendi libido cessabit et odium longioris more; tum vero non modo Nicie, sed si ita sors tulerit, inter lybicas Syrtes sine molestia stabis, rebus tuis contentus nichilque aliud requirens. [15] Dicet aliquis: ‘Nunquid illud saltem unum, quod memoras, bonum expectandum erit, ut presens presenti gaudio desiderantem animam impleat?’. Minime; si enim plene desideras, si sancte, si sobrie — aliter quippe tanta res optari non potest —, iam quod petebas tecum est; intus in anima Illum quem diligis, quere et invenies; non est, ut Eo potiaris, exterius evagandum; et siquid forte restat adhuc quod amplius velis aut cumulatius expectes, erit expectatio illa suavis et iocunda. [16] Qui ad hanc regulam se formabit, solus e cunctis mortalibus, quotiens exacta luce cubiculum intrabit, de preterito quidem dicere poterit securus virgilianum illud a Seneca relatum:

Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi;

et de futuro illud horatianum:

cras vel atra

Nube celum pater occupato

Vel sole puro;

nec unquam, venturi studio presentium oblitus, aut sibi aut aliis inutiliter etatem aget. Vale.

Ad eundem, toleranda equo animo que naturaliter contingunt et ab inutilibus querimoniis abstinendum.

[1] Querelarum tuarum vocibus plenus sum, iam res ad fastidium inclinat, iam mollitem tuam ferre non valeo; neque enim aliter quam si in hanc vitam nuper intrasses, ad occursum rei cuiuslibet expavescis. Pudeat inter lamenta senescere, imo vero pudeat olim senem pueriliter lamentari. Puerorum est ad omnia que viderint obstupescere, quippe quibus nova et admiranda sunt omnia; senibus, et presertim eruditis, nichil novum aut inopinatum evenire solet, nichil itaque stupendum, nichil deplorandum. [2] Unde igitur tot querele de rebus assiduis et secundum nature statuta fluentibus? Portenta movent animos interdum; si bicipitem puerum, si quadrimanum vides, miraris; imbrem lapideum, bovis verba, mule partum in annalibus legimus; quotidiana despicimus. [3] Tu quid vidisti, propter quod nunc totus in admirationem et lamenta conversus sis? Admirando quidem, admirationem tuam cogis ut admirer; non tam graviter in alio ferrem immoderatum hunc stuporem. Qui totiens mare transisti, totiens e mediis periculis enatasti, totiens e fauibus mortis eruptus es, admirando et fortunam tuam accusando describis passum te maris magnam et, ut Satyrici verbo utar, “poeticam tempestatem”; atque ad litus unde discesseras, flatu contrario impellente, relatum. [4] Hanc tu maris iniuriam existimas; natura est. Digniorem querele causam preferres, si vel illud tibi contigisset, quod quondam cesarea classis inter Italiam Greciamque sustinuit, quando per Adriaticum mare glaciali velut

torpore constrictum cursum expedire non valuit; vel illud quod, terra
sub pedibus tremente, pompeianus exercitus tulit in Lybia, ubi

nullus... potest consistere miles

Instabilis, raptis etiam quas calcat arenis.

[5] Nunc vero, si per terram rigidos lapides aut tumentes colles, si per mare fluctus inconstantiam pertulisti, nichil est quod lamenteris, tanquam iniuriosa tibi fuerint elementa, quod nature potius sue paruerint quam voluntati tue. [6] Altera literarum tuarum pars, non minus delicate ac flebiliter te, cum iam Pisis applicuisses, in morbum diutinum incidisse memorabat; non aliter quam si in etate tam longa quid morbus esset ignorares. Quomodo autem se adversus mortem preparabit animus, inter hec quotidiana tam querulus? [7] Sed ne latius effundar — amplissima enim res est et verborum egens —, accipe breviter quecunque de his querelis a me ipso sepe diffusius dici solent. Nimis faciles sumus ad accusandum naturam; nemo deflet quod nascitur, nemo quod vivit; at quod egestatem sentit, quod labores patitur, quod senescit, quod egrotat, quod moritur, quisque conqueritur, quasi secundum naturam minus ista quam illa sint. Et nasci et vivere, et comedere et esurire, et dormire et vigilare, et laborare et senescere, et egrotare et mori, naturalia sunt; ut nemo his mortalium vacet, nisi cui forte senescendi necessitatem laborumque molestias et egritudioum, necessitas mortis precipitata remiserit. [8] Quid igitur inutiles querelas effundimus? an, quia nobis solis ista contingunt, solis nobis lugere permisimus? an, quia omnibus, cunctorum simul in nos lamenta transfundimus et velut humani generis procuratores, naturam accusamus immeritam? Odiosum sane negotium et importunum; illa enim, mitissime; nos beneficia eius per impatientiam exacerbavimus, in parentem optimam ingrati, in nosmet ipsos impii. [9] Oro itaque, pater amantissime, et si etatem hanc non dedecet, etiam consulo, ut quicquid evenerit, inducamus in

animum ferre fortiter, ferre moderate, ferre sine eiulationibus et sine ulla lamentatione muliebri. Habuimus enim deliberandi et, gratias Christo, habemus adhuc deliberata exequendi spatium; et licet vulgus insaniat, sunt tamen nobis aliquanto magis sobrii consultores, quorum potius monitis obsequendum est. [10] Nec te moveat vita mea, quotiens epystolas meas legis, nec in frontem respexeris ista suadentis; vidisti enim interdum pallentem medicum, qui suam non poterat, alterius egritudinem curare. Ut feliciter valeas opto.

9

Responsio ad quandam iocosam epystolam Iacobi de Columna Lomberiensis epyscopi.

[1] Semisopitum epystole tue clamor excitat, quam iocosis refertam convitiis letus ridensque perlegi. Et ut primum venienti iaculo prius occurram, vide, queso, pater optime, de multis que contra me colligis, quantum ab intentione tua prima etiam scribentis verba discordent. [2] Mirari solitum te ais, quod mundum in etate adhuc tenera sic artificiose decipiam, ut scilicet ars hec sit non tam experientie quam nature. Pangericum plurium certe verborum, sed minime amplioris glorie cecinisse michi poteras. Mundus, deceptor generis humani, quot vitam laqueis implicitam quam amare dulcedinis aspersione commendet, novit quisquis apertis oculis iter hoc agit; cuius et nos fraudibus de industria favemus studioseque, ut ipsi nobis ignoti simus, adversus Apollinis consilium laboramus. [3] Hunc superbia inflat sub specie magni et excelsi animi; illum malitia et fraud, et quicquid prudentie proximum videtur, sub amictu finitime virtutis infatuat. Ille se fortem putat, inhumanus et ferox; hic se humilem vocat, timidus et imbellis. Est et quem titulo frugalitatis avaritia solicitet, et quem

prodigalitas specie largitatis exauriat. [4] Personata sunt vitia, et immania monstra formosis sub pellibus delitescunt. Accedit delectabilem sed transiturarum, imo vero transeuntium ac fugientium rerum turba: ambitio honorem nobis et plausum aurasque vulgares, luxuria blandas et varias voluptates, pecunia plurimarum rerum sufficientiam ostentat; nullus hamus sine esca, nullus sine visco ramus, nullus laqueus sine spe. Accedit humana cupiditas preceps inopsque consilii, et falli facilis et insidiis oportuna. [5] In hoc igitur ancipiti et lubrico et suspecto itinere, siquem forte tam cautum vel natura vel studium fecisset, ut mundi fraudibus elusis, mundum ipse deciperet, “frontem” scilicet ostendens populo similem, “tota intus” mente “dissimilis”; quem tu hunc virum dices? Hunc tamen ubi querimus? et natura optima et etate solida simul ac sobria opus est, et alienorum casuum observatione solicita. Tu tamen hoc michi nomen imponis; immensum quidem, modo non irrideas. Quod si hodie verum non est, Deum oro, qui potens est etiam ab inferis excitare, ut verum fiat antequam moriar. [6] Sed quo hinc iocando progrederis? multos fictionibus meis opiniones de me concepisse magnificas! Fuit ars hec, fateor, quibusdam ex illustribus viris, ut, ingenio quodam, veras virtutes mirantibus ostentarent: hinc et Nume Pompilio divini colloquii et Publio Africano divine etiam stirpis fama quesita est. Michi ars ea non competit, nichil habeo quod ostentem; et tamen nescio quis me ab incunabulis supervacuus fati favor insequitur. [7] Notior sum quam vellem, et scio de me, quantuluscunque sim, in utramvis partem multa iactari, quibus ego nec deprimor nec extollor; scio populi totidem fere mendacia esse quot verba. Et hec quidem hactenus; neque enim ut turbe displiceam magnopere laborandum est.

[8] Necdum desinit urbanitas tua. Dicis me, non modo vulgus insulsum, sed celum ipsum fictionibus tentare; itaque Augustinum et eius libros simulata quadam benivolentia complexum, re autem vera

a poetis et philosophis non avelli. Quid autem inde divellerer, ubi ipsum Augustinum inherentem video? quod nisi ita esset, nunquam libros De civitate Dei, ut reliqua sileam, tanta philosophorum et poetarum calce fundaret, nunquam tantis oratorum ac historicorum coloribus exornaret. [9] Nimirum! nunquam enim in somniis ad tribunal eterni Iudicis tractus accesserat Augustinus meus, sicut Ieronimus tuus; nunquam exprobrari sibi ciceronianum nomen audierat; quod cum audiisset Ieronimus fidemque dedisset quod nunquam amplius libros gentilium attingeret, quam diligenter ab omnibus, sed a Cicerone presertim, abstinuerit nosti. [10] Augustinum, vero, cui nullo somnio interdictum erat, non solum familiariter illis uti non puduit, sed ingenue etiam fateri se in libris Platonicorum magnam fidei nostre partem invenisse, et ex libro Ciceronis qui vocatur Hortensius, mutatione mirabili ab omni spe fallaci et ab inutilibus discordantium sectarum contentionibus aversum, ad solius veritatis studium fuisse conversum, et lectione libri illius inflammatum, ut mutatis affectibus et abiectis voluptatibus, volare altius inciperet. [11] O virum ineffabilem, dignumque quem Cicero ipse pro rostris laudet, cuique publice grates agat, quod inter tam multos ingratos unus velit esse gratissimus! O virum magnifice humilem et humiliter excelsum, non qui, alienis plumis ornatus, auctoribus insultet, sed qui iam christiane religionis fluitantem puppim inter hereticorum scopulos agens, presentisque magnitudinis sine arrogantia sibi conscius, veritatem primordiorum suorum et adolescentie rudimenta commemoret; et doctor tantus Ecclesie, non erubescat ducatum Arpinatis hominis, licet alio tendentis! Cur autem erubesceret? nemo dux spernendus est qui viam salutis ostendit. [12] Quid ergo studio veritatis obesse potest vel Plato vel Cicero, quorum alterius scola fidem veracem non modo non impugnat sed docet et predicit, alterius libri recti ad illam itineris duces sunt? Eadem et de aliis dici possunt; sed piget in re notissima testes supervacuos

conquirere. [13] Nec tamen ideo negaverim multa apud illos esse que vitari oporteat, cum et apud nostros quedam sint periculosa incautis, et Augustinus ipse, in quodam operoso volumine, de uberrima messe suorum studiorum internascentis erroris lolium proprio pollice decerpit. Quid ergo? Rara lectio est que periculo vacet, nisi legenti lux divine veritatis affulserit, quid sequendum declinandum ve sit docens; illa autem duce, secura sunt omnia, et que nocere poterant, iam Syrtibus et Caribdi aut famosis in alto scopolis notiora sunt. [14] Ut vero iantandem huic lascive calumnie finis fiat, vere ne an falso Augustinum animo complectar, ipse novit. Est enim ubi nec fallere vult quisquam nec falli potest, unde devia vite mee erroresque cernentem misereri arbitror; presertim si adolescentie sue meminit, quam vagam et aberrantem miseratus Omnipotens retraxit ad rectum iter, et nunc, pro arenosis Africe litoribus, ubi aliquandiu noxie delectatus vergebatur ad mortem, eterne frondentis Ierusalem sine fine municipem esse dedit. Inde michi favet, inde me diligit. [15] Quid enim dubitem, cum audiam in eo libro, quem De Vera Religione conscripsit, eum spe firmissima dicentem: «Quisquis angelorum Deum diligit, certus sum quod me diligit»? Si enim ille, contemplatione communis Dei, angelicum amorem sibi promittere non metuit, cum sit homo, audebo et ego, qui homo sum, amorem humanum anime illius sacratissime, que nunc celo fruitur, sperare.

[16] Sed enim novis hic salibus aspergor. Ais enim michi, philosophica etiam nunc et poetica ruminanti, Augustini dicta quasi quedam somnia videri. Melius dixisses illa relegenti totam michi vitam meam nichil videri aliud quam leve somnium fugacissimumque fantasma.

[17] Itaque lectione illa excitor interdum velut e somno gravissimo; sed urgente mortalitatis sarcina, palpebre rursus coeunt; et iterum exergiscor, et iterum et iterum obdormio. Voluntates mee fluctuant et desideria discordant et discordando me lacerant. Sic adversus interiorem hominem exterior pugnat,

Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra;

Nec mora nec requies;

et nisi Pater eternus, “voce prelia dirimens, fessum Daretā” de manibus Entelli ardantis “eripiat”, vincet exterior. Quid multa? adhuc de fine sum incertus, vivoque in spe trepida, sepe ad victorem mortis exclamans:

Eripe me his, invicte, malis;...

Da dextram misero et tecum me tolle per undas;

Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

[18] Sed nichil iocis lentius, nichil flexibilis; quocunque traxeris, sequuntur. Quid ergo ais? finxisse me michi speciosum Lauree nomen, ut esset et de qua ego loquerer et propter quam de me multi loquerentur; re autem vera in animo meo Lauream nichil esse, nisi illam forte poeticam, ad quam aspirare me longum et indefessum studium testatur; de hac autem spirante Laurea, cuius forma captus videor, manufacta esse omnia, facta carmina, simulata suspiria. In hoc uno vere utinam iocareris; simulatio esset utinam et non furor!

[19] Sed, crede michi, nemo sine magno labore diu simulat; laborare autem gratis, ut insanus videaris, insania summa est. Adde quod egritudinem gestibus imitari bene valentes possumus, verum pallorem simulare non possumus. Tibi pallor, tibi labor meus notus est: itaque magis vereor ne tua illa festivitate socratica, quam yroniam vocant, quo in genere nec Socrati quidem cedis, morbo meo insultes.

[20] Sed expecta; ulcus hoc cum tempore maturescit, verumque fiet in me ciceronianum illud: «Dies vulnerat, dies medetur», atque adversus hanc simulatam, ut tu vocas, Lauream, simulatus ille michi etiam Augustinus forte profuerit. Multa enim et gravia legendo multumque meditando, antequam senescam, senex ero.

[21] Quis autem erit facetiarum modus? ubi desines? quid ais? tentatum te quoque fictionibus meis ac prope delusum, imo vero delusum, aliquandiu expectasse me Rome, simulantem ingens veniendi teque revidendi desiderium; tandem, quod spectatores callidi in circulatorum prestigiis solent, aperienti tibi oculos et in artes meas profundius intendent, omnem ingenii mei scenam patuisse. [22] Deus bone, quid hoc est? calumniando tu quidem facies ut magus sim; iam Zoroastres videri michi incipio, repertor magie, sive unus quis suorum sequacium. Esto, sim Dardanus vel Damigeron vel Apollo vel alius, si quem ars ea notiorem fecit. Parum ne prestigii est, prestigiatorem verbo facere? [23] Sed iam satis superque iocum traximus. Serio velim michi respondeas. Cesset quamvis ardor faciem tuam videndi, quem laboriosissime in quartum annum iam protraxi, dum cogito ‘ecce ille cras aderit, ecce tu postridie movebis’; excidat quarundam curarum non mediocris cumulus, quem cum nullo mortalium nisi tecum equo animo partirer; quiescat affectus cernendi preclarissimum patrem tuum, magnanimos fratres, honestissimas sorores, exoptatos amicorum vultus; [24] quanti demum extimaturum reris menia Urbis et colles et, ut ait Virgilius,

tuscum Tyberim et romana palatia

cernere? Credi non posset quantum urbem illam, desertam quamvis et veteris effigiem Rome, spectare cupiam, quam nunquam vidi; ubi segnitem meam, si tamen segnities et non necessitas fuit, incuso. [25] Exultare michi videtur Seneca ad Lucilium scribens ex ipsa villa Scipionis Africani, nec modicum dicit vidisse locum ubi ille vir tantus exulaverat, ubi negata patrie ossa reliquerat; quod si contigit hispano homini, quid me hominem italicum sentire putas non de villa Litterni aut de Scipionis sepulcro, sed de urbe Roma, ubi Scipio natus est, ubi educatus, ubi victor idem et reus pari gloria triumphavit; ubi non unus ille, sed innumerabiles vixerunt viri, quos nunquam fama tacitura est; [26] de civitate, inquam, illa cui nulla similis fuit, nulla futura est; que

civitas regum etiam ab hoste dicta est; de cuius populo scriptum legimus: «Magna est fortuna populi Romani, magnum et terribile nomen»; cuius sine exemplo magnitudinem atque incomparabilem monarchiam futuram presentemque divini cecinerunt vates? [27] Neque nunc ego romanas prosequor laudes: maior res est quam ut possit a transcurrente tractari; sed hec cursim attigi, ut intelligeres non parvipendere me regine urbis aspectum, de qua infinita perlegi et ipse multa iam scripsi, plura forte scripturus, nisi primordia mea precipitata dies mortis abrumpat. [28] Finge me his nequaquam tangi; quam dulce tamen est cristiano animo urbem cernere celi instar in terris, sacrosanctis martyrum nervis atque ossibus consertam et veri testium preciosa cede respersam; videre verendam populis Salvatoris imaginem et in saxo durissimo eternum gentibus adoranda vestigia, ubi ad literam luce clarius impletum cernitur illud Ysaie: «Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi»; circuire sanctorum tumulos, vagari per Apostolorum atria, melioribus iam curis comitantibus et inquieta solicitudine vite presentis in litore Massilie destituta! [29] Que cum ita sint, quid me segnem vocas, cum scias quod iter meum ex alieno pendet arbitrio? Ego me ipsum tibi dederam, parvum quidem sed perpetuum munus; tu me alteri parere voluisti, si alter proprie dicitur talis et tam unanimis germanus. Nichil hic michi conscious sum; si culpa est, vel tibi parce vel fratri.

[30] In extrema literarum parte, veritus forte ne lepidissimis iocis tuis offenderer — solet enim leonis quantumlibet blanda contrectatio animantia parva proterere —, suave olentis unguenti dragmam adhibes ubi pupugisse videbare, dum me ad te amandum, imo vero ad tibi reddendas amoris vices, predulciter cohortaris. [31] Quid dicam? multa loqui non magis dolore quam gaudio prepeditur. Hoc unum, me tacente, non ignoras: usque adeo saxeus non sum, ut ad tam generosum et tam debitum amorem sit michi necessarius hortator.

Atque utinam in amando non magis freno quam calcaribus egerem!
tranquillior michi profecto adolescentia transiisset, tranquillior
iuventa sequeretur. Hoc saltem oro, ne finxisse me fingas. Vale.

Avinione, XII Kal. Ianuarias.

10

Ad Agapitum de Columna.

[1] Non miror in te quod in omnibus stupeo, in me autem queror et lugeo. Publicum malum est: que negligi sine periculo poterant, certatim querimus; quod apprime curandum erat, publice negligitur.
[2] Quam fertilis ager, quam domus composita, quam obsequiosus servus, quam solitus procurator, quam splendida vestis, quam nitidus equus, quam pulcra uxor, quam nostri corporis ornata superficies, omnes curamus; quam pulcer et ornatus animus, curat nemo. Nemo non se curaturum spondet aut sperat; sed quod primum esse debuerat, differimus ad extrema.

O cives, cives, querenda pecunia primum;

Virtus post nummos.

[3] Sic est hodie, sic erat Flacci seculo, sic erit temporibus pronepotum, nisi forte meliora de posteris auguramur. Utinam id quidem sperare possemus; sed, ut res eunt, in dies peiora conicio; quamvis iam peiora vix possim nedum timere, sed fingere. Certe sic vivitur eoque criminum ac furorum ventum est, ut procedi ulterius sine publico precipitio non possit. [4] Nunc, nunc impletum est quod ante tempus dixerat Satyricus:

Omne in precipiti vitium stetit;

enitemur tamen pro viribus, ut semper aliquid accedat insanie, nec unquam a maioribus tradite licentie finibus contenti erimus, nunquam committemus ut mentitus videatur Horatius, ubi ait:

Etas parentum, peior avis, tulit

Nos nequiores, mox datus

Progeniem vitiosiorem.

[5] Et ut in tempus aliud graviorem hanc querimoniam differamus, insistentes cepto, semper verissimum faciemus quod Marco Varroni, viro longe doctissimo, visum est; quoniam si duodecimam cure partem, quam impendimus ut pistor bonum nobis panem faciat, impendissemus in nobis, ipsi iampridem boni essemus; ut de anulis, de calceis, de calamistris sileam. Sic est proculdubio, sic erit: semper curabuntur supervacua, semper necessaria negligentur. [6] In literis tamen tuis, clarissime vir, unum de te bone spei pignus habeo: videris michi vim pati et, qui proximus ad salutem gradus est, statum tue mentis agnoscere; videris michi indignatione magnifica, cum primum se facultas obtulerit, ex his compedibus evasurus. Vale.

Ad fontem Sorgie,

Kal. Maiis.

Ad eundem, ut ad poeticam cenam veniat.

[1] Ad cenam expectatus venies, memorque non hic cupidinarium forum esse; poeticum tibi convivium presto est, idque non Iuvenalis aut Flacci, sed quale a Virgilio pastorale describitur:

mitia poma,

Castanee molles et pressi copia lactis.

Cetera duriora: inelaboratum ac rigidum panem, fortuitum leporem aut peregrinam gruem — idque perraro — et callum fortassis apri rancidioris invenies. Quid multa? neque locorum nec victus asperitas ignota est tibi; itaque, non pedibus tantum, sed, ut facete plautinus parasitus ait, “calceatis dentibus ut venias” admoneo. Vale.

Ad fontem Sorgie.

Idibus Ianuariis.

12

Ad Iohannem de Columna cardinalem, alterius peregrinationis descriptio.

[1] Peroportunum curis meis locum, si non alio properaret animus, nactus sum in regione romana. Caprarum mons dictus est olim, credo quod, silvestribus virgultis obsesus, capris quam hominibus frequentior haberetur. Paulatim cognitus loci situs et spectata fertilitas habitatores aliquot sponte contraxit, a quibus arx eminenti satis tumulo fundata; et domorum quantum collis angustus patitur, adhuc vetus caprarum vocabulum non amisit. [2] Locus ignobilis, fama nobilioribus cingitur locis. Est hinc Soracte mons, Silvestro clarus incola, sed et ante Silvestrum poetarum carminibus illustris; hinc Cimini cum monte lacus, quorum meminit Virgilius; hinc Sutrium, quod nonnisi duobus passuum milibus abest, sedes Cereri gratissima et vetus, ut perhibent, Saturni colonia. Campus ostenditur non longe a muris, ubi primum in Italia frumenti semen ab advena rege iactum dicunt, primam messem falce desectam; quo beneficio miraculoque delinitis animis, in partem regni vivens, in opinionem divinitatis vita functus, favore hominum exceptus senex rex et falcifer deus est. [3] Aer hic, quantum breve tempus ostendit, saluberimmus. Hinc illinc

colles innumeri, altitudine nec accessu difficulti et expedita prospectui; inter quos et umbrosa laterum convexa et opaca circum antra subsidunt. Undique submovendis solibus frondosum nemus erigitur, nisi quod ad aquilonem collis humilior apricum aperit sinum, mellificis apibus floream stationem. [4] Fontes aquarum dulcium imis vallibus obstrepunt; cervi damme capreoli et feri nemorum greges apertis vagantur collibus; omne volucrum genus vel undis vel ramis immurmurat; nam boum et omnis mansueti pecoris armenta, et humani laboris fructus, Bachi dulcedinem et Cereris ubertatem, ad hec et illa nature dona, vicinos lacus ac flumina et non longinquum mare, pretereo. [5] Pax una, quonam gentis crimine, quibus celi legibus, quo fato seu qua siderum vi ab his terris exulet, ignoro. Quid enim putas? pastor armatus silvis invigilat, non tam lupos metuens quam raptores; loricatus arator, hastam ad usum rustici pugionis invertens, recusantis bovis terga solicitat; auceps retia clipeo tegit et piscator hamis fallacibus herentem escam rigido mucrone suspendit; quodque ridiculum dixeris, aquam e puteo petiturus rubiginosam galeam sordido fune connectit. [6] Denique, nichil sine armis hic agitur. Quis ille pernox ululatus vigilum in menibus, que voces ad arma conclamantium, que michi in sonorum locum quos blandis e fidibus exprimere consueveram, successere? Nichil incolis harum regionum inter se aut tutum videoas, aut pacatum audias, aut humanum sentias; sed bellum et odia et operibus demonum cunta simillima. [7] His in locis, pater inclite, inter volentem ac nolentem dubius, iam sextumdecimum diem ago; et — quantum potest in rebus omnibus consuetudo! — fragore militum et stridore lituum ceteris in arcem concurrentibus, me sepe per hos colles vagum videoas atque aliquid quod posteritatem michi conciliet, assidue meditantem. Omnes me cum admiratione respiciunt, otiosum, intrepidum et inermem; contra, ego omnes admiror pavidos, solicitos et armatos. Hec est humanarum varietas actionum.

[8] Quodsi forsan interroger an hinc migrare malim, non facile dixerim; et ire iuvat, et manere delectat. Ad primum pronior sum; non quod hic molesti quicquam patiar, sed Romam visurus domo moveram. Est autem secundum naturam, ut usque in finem votorum animus non quiescat. [9] Ex quo maxime colorem michi videtur habuisse opinio illa, que beatifica visione Dei, in qua consummata felicitas hominis consistit, defunctorum animas tandiu carituras astruebat, donec corpora resumpsissent, quod naturaliter non optare non possunt; quamvis illa sententia multorum saniori iudicio victa et cum auctore suo — da veniam, queso, qui valde eum, sed non errores eius dilexisti — sepulta iampridem sit. Vale.

13

Ad eundem, de statu et causis more longioris apud Capranicam et de adventu Iacobi ac Stephani fratrum eius.

[1] In hoc ecce caprarum, imo vero leonum et tigridum monte, quolibet agno mitior Ursus iste tuus habitat, Anguillarie comes, amator pacis sine bellorum metu, inter bella securus non sine pacis desiderio, hospitalitate secundus nemini, consilio vigens, blande severus et rigide benignus in suos, Pyeridum familiarissimus et excellentium ingeniorum mirator elegantissimus ac laudator. [2] Et secum, non adversum, ut ille, sed conveniens moribus suis nomen sortita, Agnes coniunx eius preclarissima, soror tua; de qua, ut de Carthagine Salustius ait, «silere melius puto quam parum dicere». Sunt enim quedam, que nullo melius modo quam stupore et silentio laudantur; horum ex genere soror tua est. Hoc concors et mite par coniugum ceu rosas aut lilia totidem notavi inter spineta ac tribulos

odiorum; horum suavitate utcunque reliquorum temperatur asperitas.

[3] Accessit divinus et singularis vir Iacobus de Columna, Lomberiensis episcopus, germanus tuus; ad quem cum adventus mei nuntium premisissem per literas quid me agere vellet interrogans, quoniam, obsidentibus omnes aditus domus tue hostibus, non tuto videbar Romam petiturus, rescripsit ille congratulatus adventui et expectare iubens. [4] Paucisque post diebus, ad. septimo Kal. Februarii, affuit cum Stephano fratre primogenito, cuius etiam virtus eximia magna quidem materia vatum est; neque amplius quam centum armatis equitibus stipatus uterque, non sine spectantium horrore, transiverat, cum quingentos et eo amplius sub hostium signis esse constaret. Sed ea que sepe bellum conficit, fama ducum iter straverat. [5] Cum his ego nunc generosis spiritibus habito, tanta dulcedine, ut sepe alibi quam in terris esse videar, nec iam Romam magnopere requiram. Ibimus tamen; quamvis denuo dicantur adversarii reditum in urbem accuratius obstruxisse. Vale.

14

Ad eundem, ab urbe Roma.

[1] Ab urbe Roma quid expectet, qui tam multa de montibus acceperit? Putabas me grande aliquid scripturum, cum Romam pervenissem. Ingens michi forsan in posterum scribendi materia oblata est; in presens nichil est quod inchoare ausim, miraculo rerum tantarum et stuporis mole obrutus.

[2] Unum hoc tacitum noluerim: contra ac tu suspicabaris accedit. Solebas enim, memini, me a veniendo dehortari, hoc maxime

pretextu ne, ruinose urbis aspectu fame non respondente atque opinioni mee ex libris concepte, ardor meus ille lentesceret. Ego quoque, quamvis desiderio flagrarem, non invitus differebam, metuens ne quod ipse michi animo finxeram, extenuarent oculi et magnis semper nominibus inimica presentia. [3] Illa vero, mirum dictu, nichil imminuit, sed auxit omnia. Vere maior fuit Roma, maioresque sunt reliquie quam rebar. Iam non orbem ab hac urbe domitum, sed tam sero domitum miror. Vale.

Rome, Idibus Martii, in Capitolio.

15

Ad eundem, de laudibus verissimis sororum eius Iohanne et Agnetis.

[1] Sunt qui Romanorum veteres matronas singulas singulis laudibus attollunt; et Lucretie quidem pudicitiam ascribunt, Martie gravitatem, pium impetum Veturie, coniugalis amoris ardorem Portie, Claudie hilaritatem sobriam, Iulie facetias et eloquentiam muliebrem, urbanitatem Cecilie, Livie maiestatem, Corneliarum alteri generosum robur animi, alteri morum verborumque dulcedinem. [2] Sunt et qui peregrinas suis laudibus prosequuntur: honestatem in Penelope, in Arthemisia amore immortalem, in Ipsicratea tolerantiam, in Thamiri fortitudinem, consilium in Thetide, modestiam in Argia, pietatem in Antigone, in Didone constantiam admirantes.

[3] Velle ut hi laudatores veterum sorores tuas Iohannam et Agnetem cernerent; haberent profecto in una domo amplissimam laudandi materiam, neque femineis titulis conquirendis per omnes terras et per tam multa secula vagarentur; quicquid usquam sparsim queritur, apud has simul invenitur. Tu vives non virtute tantum

propria, sed magni genitoris gloria fratrumque concordia et talium
sororum pietate felicissimus, et Vale.

[4] Rome, x Kal. Aprilis.